DE

A. GELLII NOCTIUM ATTICARUM FONTIBUS

QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVIII M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXXIII HORA XII

IN AULA MINORE

PUBLICE DEFENDET

LOTHARUS RUSKE.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

AEMILIUS HITZE, DR. PHIL.

GEORGIUS SIEBER, DR. PHIL.

GLACIAE.

TYPIS L. SCHIRMERI.

MARTINO HERTZ

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

SACRUM.

Praefatio.

A. Gellii noctium Atticarum fontes indagare atque investigare mihi suscipienti duo potissimum exstiterunt duces, qui viam quasi munierant mihi ad has quaestiunculas instituendas, Mercklin et Kretzschmer. Iam ante hos Dirksen (Die Auszuege der roem. Rechtsgel. i. d. N. A. des A. Gell., act. acad. lit. Berol. a. 1851 p. 35 sqq.) obiter, quae ratio adhibenda esset ad Gellii fontes explorandas, attigerat et symbolas quasdam haud leves dederat. Accuratius vero atque copiosius de eadem re scripserunt illi, quos ante laudavi, Mercklin (Die Citiermethode und Quellenbenutzung des A. Gellius in den Noct. Att., suppl. III. annal. philol. class. 1860) et Kretzschmer (diss. de auctoribus A. Gellii grammaticis, Gryphisw. a. 1860), ita quidem, ut quaestionem de usu fontium et citandi ratione ad finem perduxerint. Quorum praecepta si cui ipsa inspicere non in promptu sit, cum non abhorrere videatur a nostro proposito, leges ab illis statutas omnibusque probatas paucis repetam.

Ac primum quidem haec lex erit tenenda, Gellium iis potissimum auctoribus esse usum, in quorum lectione assiduum se fuisse ipse profitetur (cf. XIII 13, 4. XII 5, 1) quosque familiares ei exstitisse aliis indiciis constat; illos vero ex hoc numero eximendos esse, quos aut obscure aut nunquam laudavit, quibus adnumerandi sunt ii, quorum mentionem aliis deberi aut testimoniis certis aut coniectura assequi possumus. Nec minus Gellium eos libros adisse, quorum inscriptiones in praefatione afferat ipse § 4—11, putandum esse non immerito suspicatus est Mercklin l. l. p. 671, licet nostra quidem aetate discerni non iam possit, quatenus illorum usus pateat. His accedent, ita ut tertiam

quasi classem nobis exhibeant, libri eorum, quos ipsos sententias proponentes facit Gellius (ex. gr. I 26. XII 5.)

Iam vero si quaerimus, quamnam rationem Gellius secutus sit in transscribendis auctoribus, ita rem instituisse eum intellegimus, ut

1) aut verba ipsa afferat, nonnunquam paucis verbis quasi isagogicis ut ita dicam praemissis, veluti „verba ipsa apposui“, „verba ipsa adscripsi“, „ita scriptum fuit“ aut

2) argumentum solum verbis auctoris mutatis ponat („ad hanc ferme sententiam“, „in hunc fere modum“, „huiuscemodi“ etc.) aut

3) argumento praemisso verba ipsa adiungat (cf. IX 3. XV 1. XV 7) aut denique

4) e memoria se pronuntiare affirmet.

Eidem vero auctori capita continua saepius esse vindicanda et Kretzschmer et Mercklin recte cognoverunt. Quam legem ita amplificabimus, ut Gellium nonnunquam uno capite interiecto eundem fontem adhibuisse statuamus, cf. VI 7 et 9; IX 11 et 13; XI 1 et 3; XIX 2 et 4 (cf. Kretzschmer l. l. p. 46; Mercklin ind. schol. Dorp. a. 1861 p. 12; Hertz Jahrb. f. Philol. 85 p. 798 rament. Gell. mant. p. 16 f. O. Gruppe, comment. Mommsen p. 546.)

Singula vero capita quoad licebit ad unum auctorem revocanda sunt, ut probavit Kretzschmer § 3, et

1) ubi plures auctores indicare videtur Gellius certis quibusdam dicendi formulis usus, veluti „nonnulli“, „alii“, „quidam“, et

2) ubi complures citantur auctores nomine ipso addito; his locis adnumerem eos, ubi Gellius duos auctores particulis „et“ vel „item“ inter se coniungit, quorum alterius nomen nude ponit, alterius, qui tanquam fons totius capitis putandus est, nomini librum addit cf. III 9, XI 1; denique 3) ubi ad singula tantum laudatur auctor.

Nonnullis contra locis duo pluresve eiusdem rei auctores reperiuntur, quibus quin ipsos inspexerit non erit dubitandum. Nec raro usu venit, ut capite iam absoluto novi aliquid ex alio fonte desumptum assuerit.

His rebus explanatis addendum mihi esse video, quae-

nam citandi ratio fuerit nostro. In qua re parum sibi constantem fuisse Gellium permulti loci docent Etenim

1) aut accurate atque diligenter et auctorem et libri inscriptionem et numerum apposuit, aut

2) minus accurate vel auctorem et librum, sed numero omisso citavit vel auctorem solum vel librum scriptoris nomine omisso vel neque auctoris neque libri nomen laudavit (traditum est, aiunt).

Haec habui, quae de fontium usu Gelliano et citandi ratione dicerem Mercklinum secutus atque Kretzschmerum. Iam ut ad rem quam institui transgrediar, iis quae sequuntur inquirere conabor primo loco, quibus auctoribus Gellius sit usus in rebus, quae ad historiam et antiquitates pertinent, altero loco, quos philosophos in auxilium advocaverit, tertio denique recensebo iuris peritos.

Initium autem faciam a Graecis, quos excipiant Romanarum rerum scriptores.

I. Historici et antiquarii.

A. Graeci.

Gellius quamquam ipse Athenis versatus litteris operam navavit et Favorini, Herodis Attici, aliorum, quos Graeco sermone familiarius quam Latino usos esse scimus, lateribus adhaesit, tamen Graecos auctores in philosophia una plerumque adhibebat, perpaucos tantum ipse, ut meo iure contendere me posse arbitror, transscripsit in reliquis disciplinis.

1. Aristeas. Isigonus. Ctesias. Onesicritus. Philostephanus. Hegesias.

Hos mythographos paucis absolvam, quorum libros quamquam parvo se emisse narrat IX, 4, 5 eosque omnes duabus proximis noctibus cursim transisse atque in legendo carpsisse exinde quaedam et notasse mirabilia eaque suis commentariis inspersisse, tamen ne vidisse quidem Gellium verisimile est. Totum enim Gellium hic pendere ab auctoritate Plinii Secundi, in cuius nat. hist. l. VII etiam ea quae inde a § 7 refert, se legisse prodat, luculentissime iam demonstrarunt et Mercklin l. l. p. 641 et Kretzschmer § 5 p. 13 sqq.

2. Ephorus. Philochorus. Theopompus. Xenophanes.

Ne hos quidem a Gellio, in partes esse vocatos certis indiciis ductus demonstrabo. Ephori quidem atque Philochori et Xenophanis, quos coniunctos laudat III 11, mentionem eum debere Varronis libro primo hebdomadum, ex

quo totum caput derivabimus, magna cum probabilitate coniecit Kretzschmer l. l. p. 40. Altero loco coniunctos videmus Philochorum et Theopompum, XV 20, sed ne hic quidem illos Gellio quidquam praebuisse postea docebo. Theopompi tertio quoque loco mentio facta est, ita ut fontem eum fuisse Gellio facile possis putare, XVI 15; refert Theopompus in Bisaltia lepores bina iecora habere. Quam narratiunculam ut ab ipso Theopompo Gellium accepisse negem, efficit fragmentum apud Steph. Byz. s. v. *Βισαλτία* servatum: *Βισαλτία, πόλις καὶ χώρα Μακεδονίας, ἀπὸ Βισάλτου τοῦ Ἡλίου καὶ Γῆς. περὶ ταύτην οἱ λαγοὶ σχεδὸν πάντες ἁλίσκονται δύο ἥπατα ἔχοντες ὡς Θεόπομπος ἱστορεῖ καὶ Φαβωρῖνος.* Favorinum igitur auctorem fuisse nostri loci pro certo habeo ad eundemque Theophrasti quoque notitiam quae praecedit (in Paphlagonia perdices bina corda habere) revoco.

3. Chares.

V 2 memoriae prodit Gellius nonnulla de Alexandri regis equo, qui Bucephalas appellatus est. Laudatur § 2 Chares, qui equum talentis tredecim emptum et regi Philippi donatum scripsit. Sequuntur varia de eodem equo quae memoria digna videbantur Gellio, sed ita ut auctoris nomen nusquam addatur (§ 3 super hoc equo dignum memoria visum, § 4 id etiam . . . memoratum est). Gellium vero Charetis libris usum esse adduci non possum ut opiner, cum huius scriptoris hoc uno loco meminerit neque aut librum aut libri argumentum adiecerit. Quamquam cui rerum scriptori hoc caput assignem dubius haereo.

4. Timaeus.

Uno tantum loco coniunctus cum Varrone laudatur XI, 1. Gellium omnia, quae narrat, debere Varroni soli, a quo et Timaei mentionem repetiverit, satis probabiliter docuit Kretschmer p. 38.

5. Critolaus.

XI 9 historiam refert Gellius de legatis Mileto missis et Demosthene rhetore in libris Critolai repertam. § 1 ponit Gellius init.: „Critolaus scripsit“ eiusque mentionem re-

petit § 2: „ut idem Critolaus refert“. Quamquam non desunt in nostro capite, quae Graecum quendam scriptorem in Gellii manibus fuisse prodere videantur, tamen num hic fuerit Critolaus, quippe quem libri nomine non addito et hoc tantum loco laudet, valde dubito.

6. Apollodorus.

Apollodori libri, qui chronica inscriptus est, laudationem XVII 4, 5. 6. factam a M. Varrone § 3 citato, cui totum caput tribuendum sit, profectam esse ostendit Mercklin p. 652 cf. N. Rh. Mus. vol. XIII p. 465. Quaestionem ipsam differo ad Varronem.

7. Herodotus.

Uno tantum loco Herodoti verba ipsa apposuit Gellius XIII 7, 2 desumpta ex libri III cap. 108. Sed aliis quoque locis eum praesto fuisse Gellio eique materiam praebuisse pro explorato habeo. Ex Herodoto nominatim allato, libro tamen omisso, transscripsit Gellius historiam de Arione XVI 19 narratam (cf. Herod. I 23 sq.), eique ipsi nostrum sua debere facile cognosces, si Herodotum cum Gellio comparaveris, quorum utriusque verba saepius inter se concinunt: Herod. c. 24 *τοὺς δὲ ἐν τῷ πελάγει ἐπιβουλεύειν τὸν Ἀρίονα ἐκβαλόντας ἔχειν τὰ χρήματα* — Gell. § 9 navi in altum provecta praedae pecuniaeque cupidos cepisse consilium de necando Arione. Herod. ibid. *τὸν δὲ συνέντα* — Gell. § 10 pernicie intellecta. Herod. *χρήματα μὲν προϊέντα σφι* — Gell. pecuniam . ., ut haberent, dedisse. Herod. *καὶ τοῖσι ἐσελθεῖν γὰρ ἡδονὴν εἰ μέλλοιεν ἀκούσεσθαι.* Gell. § 13 . . . prolubium tamen audiendi subit. Herod. *διεξελθεῖν νόμον τὸν ὄρθιον.* Gell. § 14 carmen quod „orthium“ dicitur, . . cantavit. Her. *εὖ πρήσσοντα* — Gell. § 20 bene agitare.

Mitto reliqua, cum quae rettuli sufficere mihi videantur ad sententiam quam supra memoravi comprobandam.

Ex eodem Herodoti iterum nominatim tantum allati libro (cap. 85) hausit Gellius l. V cap. 9, de Croesi filio muto atque elingui. Cui narratiunculae apte addita est alia illa de Echecle Samio, quam unde decerpserit noster indagare non potui. Paulo aliter de Echecle rem enarra-

tam videmus a Valerio Max. (I 8 ext. 4.)*) Ad l. IV c. 173 referendum est Gell. l. XVI c. 11 § 4—8. Aliis locis, quibus Gellius Herodoti auctoritate nititur, utrum ex ipso sua transtulerit an per alterum acceperit incertum videtur. Vd. Gell. I 11, 7 coll. c. Her. I 17, Gell. III 10, 11 coll. c. Her. I 68. Gell. XVII 8, 6 — Herod. IV 28.

8. Thucydides.

Hic uno Gellii loco nobis occurrit I 11, 1—5; § 5 verba ipsa Aulus addit („sed ipsius illius egregii scriptoris uti verbis libet, quae et dignitate et fide graviora sunt"). Thucydidem ipsum a Gellio in partes esse vocatum ut veri sit simile efficiunt verba quae modo laudavi laudibus illum afficientia, sed ita eum esse inspectum ab Aulo putem, ut in libro quodam de musica composito Thucydidis mentio fuerit facta, Gellius cum librum illum excerpserit, Thucydidem ipsum inspexerit ex eoque verba transscripserit.

9. Apion.

Tiberii Claudiique aetate floruit Romae. De eo cf. imprimis Gell. V 14, 1: Apion . . literis homo multis praeditus rerumque Graecarum plurima atque varia scientia fuit. Eius libri non incelebres feruntur. VII 8, 1: Ἀπίων Graecus homo . . . facili atque alacri facundia fuit.

Ex eius libro Aegyptiacorum quinto desumpta est historia de recognitione inter se mutua hominis et leonis V 14, 5—30. Eiusdem libri quinti vestigia apparent VI 8, ita ut partim verba Graeca afferat (§ 5), partim Latine expressa exhibeat (§ 6 et 7). Aegyptiacorum librum incertum adiit X 10 („quae eius rei causa sit, quod et Graeci veteres et Romani anulum hoc digito gestaverint, qui est in manu sinistra minimo proximus"). Praeter libros Aegyptiacos de laudibus Alexandri Magni scripsisse videtur Apion, id quod conicere possumus nisi testimonio Gellii VII 8, 1. 2 (is cum de Alexandri regis laudibus scriberet). Apte coniuncta est narratio quaedam de Publio Africano, quam fortasse ex Hygino Aulus desumpsit.

---

*) Restituit Kempfius pristinam nominis formam ab antiquis abbreviatoribus Paride et Nepotiano servatam.

10. Pamphila.

Pamphilae, uxoris Soteridae grammatici, quae Neronis floruit temporibus, ὑπομνήματα ἱστορικὰ s. commentarii duobis Gellii locis nobis occurrunt, XV 17 et XV 23. Priore loco ex commentario nono et vicesimo Pamphilae refert Gellius, quam ob causam nobiles pueri Atheniensium tibiis canere desierint, altero ex libro undecimo iudicium profert Pamphilae de Hellanici Herodoti Thucydidis aetate.

11. Plutarchus.

I 1 disputat Gellius „de corporis proceritate qua fuit Hercules cum vitam inter homines viveret" auctoremque huius capitis citat Plutarchum „in libro quem de Herculis quantum inter homines fuit animi corporisque ingenio atque virtutibus conscripsit". Gellius cum saepius Plutarchum sit secutus, quin hoc quoque loco ex eo deprompserit sua, in dubium vocare non poterimus. Cuinam autem librorum deperditorum, cum in iis, qui aetatem tulerunt, eiusmodi argumenti vestigia nulla iam appareant, tribuenda sint Gelliana et utrum Gellius his verbis inscriptionem illius libri an summam (id quod propius accedit ad veritatem) prodiderit, enucleari non iam potest.

Primum Plutarchi librum περὶ ψυχῆς citat Gellius I 3, 31 ex eodemque libro verba ipsa adnectit. Ad eundem librum revocanda esse censeo Mercklino duce p. 654, quae initio huius capitis de Chilone Lacedaemonio nobis tradit, § 1—9; recte enim monet Mercklin Plutarchum iis adnumerandum esse, qui „vitas resque gestas clarorum hominum memoriae mandaverunt", verba autem § 9 posita (ut verbis quae scripta sunt, ipsis utar εἰ δεῖ βοηθεῖν κτλ.) Graecum quendam scriptorem denotare. Huc accedit, quod Gellii est consuetudo, ut aliam capitis partem certo auctori tribuat, quem in fine demum totius capitis ipsum laudat, aliam sine auctore adiciat, quas tamen partes coniungendas et ad unum eundemque referendas esse docet Kretzschmer p. 9.

Eiusdem libri περὶ ψυχῆς usum subesse videmus XV 10 (de voluntario et admirando interitu virginum Mile-

siarum). Eadem historia hodie etiam legitur in Plut. libr. de mulierum virtutibus p. 249.

Alios locos ad philosophiam reservo.

12. Sotion.

Hunc Sotionem non intellegendum esse Senecae philosophi praeceptorem, Sextiorum scholae addictum, sed Sotionem maiorem Ptolemaei Epiphanis fere aequalem, qui Peripateticae scholae adnumerari soleat, sat mihi probavit Hertz (Rament. Gell. I—V mant. Vratisl. 1868 p. 15 sq.) nisus testimonio Diog. Laert. II 8, 4.

Sotionem quamquam uno tantum loco tamquam fontem excitavit noster I 8, tamen quin ex ipso notitiam derivarit, vix erit dubium. Praeterquam enim quod Sotionem laudibus effert § 1, quem „haud sane ignobilem virum" appellat, liber, in quo historia de Demosthene rhetore et Laide meretrice narrata scripta est, qui inscribitur *κέρας Ἀμαλθείας*, in praefatione quoque Gelliana (§ 6) nobis occurrit, quam rem in explorandis Gellii fontibus non neglegendam esse supra demonstravi. Eidem Sotioni, quem duobus capitibus interiectis nomine addito in rebus Demosthenis enarrandis a Gellio in usum advocatum esse vidimus, eiusdem libri cap. V, in quo Demosthenem vestitu ceteroque cultu corporis nitido venustoque nimisque accurato fuisse traditum est, assignandum esse suspicatur Hertzius l. l., cum non tantum per duo capita continua Gellius eodem fonte usus sit, sed etiam uno capite interiecto saepius id ita sese habeat (cf. Kretzsch. l. l. p. 46. L. Merckl. ind. schol. Dorp. a. 1861 p. 12). Quam ob rem hoc quoque loco duobus modo capitibus interiectis de eadem fere re eodem fonte Gellium usum esse Hertzio videtur satis esse probabile. Et ne ego quidem viri doctissimi coniecturae adstipulari dubitarem, si haberem, cui, quae Gellius de Hortensio ob eiusdem munditias gestumque in agendo histrionum Dionysiae saltatriculae cognomento compellato narrare pergit, assignarem. Ex Sotione haec fluxisse non posse, si temporum habeas rationem, luce clarius est; cum vero similitudo quaedam intercedat inter ea, quae de Demosthene et quae

de Hortensio Gellius prodit, unum eundemque totius capitis fuisse auctorem potius credam, quam ob rem neque Schaeferi (phil. vol. VI p. 427) de Hermippo tamquam fonte cogitantis neque Kretzschmeri ad Aeschinem (adv. Timarch. § 53) haec referentis (p. 13) coniecturas probandas esse censeo. Quis tamen ille fuerit auctor, quem Gellius secutus sit, expedire me non potuisse libere profiteor.

B. Romani.

Iam ad Romanarum rerum scriptores transgrediar, quorum primus hic in censum venit

1. M. Porcius Cato.

Catonis memoriam resuscitatam videmus a scriptoribus, qui verborum atque rerum quarundam singularium studio ducti in Catone lectitando et excerpendo versati sunt et plerique vixerunt imperatoris Hadriani aetate (cf. H. Peter, vett. hist. Rom. rell. p. CLXII). Imprimis Cornelius Fronto et praeco virtutum Catonianarum et imitator exstitit eumque secutus est discipulus, M. Antoninus. Nec minus libris Catonis operam dedit Aulus, a quo viginti locis originum fragmenta servata videmus. Quanti autem aestimaverit Porcium, optime cognoscitur ex l. X c. 3 § 15: „Si quis est tam agresti aure ac tam hispida, quem lux ista et amoenitas orationis verborumque modificatio (sc. Ciceronis) parum delectat, amat autem priora idcirco, quod incompta et brevia et non operosa, sed nativa quadam suavitate sunt quodque in his umbra et color quasi opacae vetustatis est, is, si quid iudicii habet, consideret in causa pari M. Catonis, antiquioris hominis, orationem, ad cuius vim et copiam Gracchus nec aspiravit. Intelleget, opinor, Catonem contentum eloquentia aetatis non fuisse et id iam tum facere voluisse, quod Cicero postea perfecit.“

Ac primum quidem recte monuit Kretzschmer p. 39, vix unquam de re grammatica Gellium disseruisse, quin illum testem excitaret. De compluribus fragmentis ex originum libris servatis, num ex ipso Catone ea deprompserit, dubius haereo. Ab aliorum enim auctoritate, a qui-

bus mentionem Catonis repetierit, Gellium pendere facile coniectura assequi et suspicari possumus locis his maximam partem ad res grammaticas spectantibus: XVIII 12, 7 I 16, 4 (e l. orig. I.) XVII 13, 4 (e l. II.) XVIII 13, 3 (e l. III) V 21, 7. X 1, 10. II 19, 9. XI 3, 2 (e l. IV), II 22, 28 (e. l. V ut vult H. Peter) XI 3, 2. XV 9, 5. XV 13, 5 (e l. V), XIII 25, 15. I 12, 17 (e l. VII).

Et Tironis epistulam ad Axium scriptam et Catonis orig. l. V, in quo libro orationem pro Rhodiensibus habitam posuit Cato, in Gellii manibus fuisse VI 3, quamquam et Tiro locos reprehensos plerosque ipse attulerit, apparet ex § 49: „verba adeo ipsa ponemus quoniam Tiro ea praetermisit“ et e verbis exeuntis capitis: „Commodius autem erectiusque de his meis verbis . . . existimabit iudiciumque faciet, qui et orationem ipsam totam Catonis acceperit in manus“ coll. c. § 54: a „Inique igitur Tiro Tullius, quod ex omnibus facultatibus tam opulentae orationis aptis inter sese et cohaerentibus parvum quippiam nudumque sumpsit quod obtrectaret“ (cf. Merckl. p. 648).

Quae II 28 inde a § 4 apud Gellium scripta legimus, cum minime cohaereant cum iis quae antecedunt, non a Varrone ex Catonis orig. l. IV in suum opus translata, sed a Gellio ipso desumpta esse persuasum habeo. Eiusdem libri orig. quarti vestigium deprehendimus XI 1, 6, quem locum et ipsum Gellius suae ipsius lectioni debere videtur. Denique libri quarti usus comparet III 7, ubi historia quaedam de Q. Caedicio tribuno militum narratur ita quidem, ut Gellius primum summam atque argumentum rei a Catone expositae reddat, deinde (§ 19), quid illi tribuno divinitus in eo proelio usus venerit, non iam suis, sed ipsius Catonis verbis subiciat. (Quarto orig. libro hoc fragmentum tribuerunt et Krause, vit. et frg. vett. hist. Rom. p. 89 sqq. et Jordan Cat. rell. p. 17 et H. Peter l. l. p. 74 sqq).

Multo frequentius quam in originum libris versatus est Gellius in orationibus, quas triginta fere locis in auxilium advocavit. Orationum quoque aliquot locis suspicio me subit Gellium mentionem ab aliis accepisse, non ex suo hausisse, veluti X 24, 10 (ex oratione contra Furium), XIII

18, 1 (or. de aedilibus vitio creatis) ex Sulpicii Apollinaris epistula ad Erucium Clarum missa, XVIII 9, 1 (de Ptolemaeo contra Thermum, si quid recte video ex Velio Longo § 4 laudato) II 6, 7 (or. de Achaeis) III 14, 19 (de bello Carthaginiensi, fortasse ex Varronis libr. discipl. desumpta sunt). Perinde dubito de IX 12, 7. X 13, 2. I 15, 9. 10. IV 17, 15. V 13, 4. XX 2, 1. IX 14, 10. II 14. Ad Verrii Flacci de obscuris Catonis libros revoco XVII 6. VI 13. XVI 14, fortasse etiam VI 22 (quod censores equum adimere soliti sunt equitibus corpulentis et praepinguibus) quamquam nec apud Festum nec apud Paulum vestigium huius rei ullum apparet. Orationes Catonis ipse Gellius inspexisse atque legisse et excerpsisse videtur XVI 1, 2. XIII 25, 12. X 3, 17 V 6, 25. XVII 2, 20. XI 18, 18. X 14, 3. XIII 24. Restant duo loci ex orationibus desumpti qui ad historica pertinent, I 23. X 23.

I 23 transtulit Gellius ex M. Catonis oratione qua usus est ad milites contra Galbam, historiam de Papirio Praetextato, ita ut non Catonis verba addat, sed suis ipsius verbis rem referat, cf. § 2: „ea Catonis verba huic prorsus commentario indidissem, si libri copia fuisset id temporis cum haec dictavi“.

X 23 ex eorum libris, qui de victu atque cultu populi Romani scripserunt, mulieres Romae atque in Latio vino semper abstinuisse memoriae prodit Gellius. Catonem, quem § 3 laudat, quamquam liber eius ita inscriptus nullus exstat, inter eos fuisse, qui de victu atque cultu populi Romani scripserunt, facile conici potest ex consuetudine Gellii ab universa mentione in certum quendam librum transeuntis. Neque inter se repugnant verba Gelliana § 2: „Atque haec quidem ..... admisissent“. Nam quae initio capitis refert Gellius, pleraque ex eadem Catonis oratione de dote, ex qua § 4. 5 verba adscripsit, fluxisse evincitur testimonio Plinii cf. n. h. XIV 90: „Cato ideo propinquos feminis osculum dare ut scirent an temetum olerent. hoc tum nomen vino erat, unde et temulentia appellata“. Quae coniectura nostra, qua Catonem Gellio fontem fuisse probaverim, confirmari mihi videtur Gellii verbis ipsis § 4 positis: „verba

Marci Catonis adscripsi ex oratione, quae inscribitur de dote, in qua id quoque scriptum est". Quae cum probabiliter mihi persuaserit Mercklin p. 663, viro doctissimo conicienti Gellium haec fortasse legisse in Atei Capitonis, quem et ipsum Plinius l. l. praeter alios eiusmodi argumenti librorum scriptores citet, coniectaneorum libro quodam, eo minus possum assentiri, quod frequentissimum esse Catonis usum Gellianum omnibus locis apparet. Mitto sententiam, quam Thilo protulit (de Varrone Plut. quaest. Rom. auctore praecipuo p. 23) Gellii verba X 23 „qui de victu atque cultu . . . si bibissent" e Varrone esse sumpta.

M. Catonis auctoritatem secutus est Gellius IV 12 disputans de notis et animadversionibus censoriis; in cuius capitis extrema parte utriusque rei quam commemoravit, auctoritates esse et M. Catonem id saepenumero attestatum ait. M. Catonem solum adhibitum esse si rationem habemus Gellianae consuetudinis in citandis auctoribus observatae, perspicuum est; confirmatur opinio mea testimonio Plinii (n. h. XVIII 3 § 11): „Agrum male colere censorium probrium iudicabatur atque, ut refert Cato, cum virum bonum agricolam bonumque colonum dixissent, amplissime laudasse existimabant". Mercklinum autem quid moverit, ut suspicaretur (p. 662) ex oratione de sacrificio commisso caput nostrum fluxisse coll. c. VI 22, mente non assequor. Gellius enim cum ipse aperte dicat saepenumero Catonem id testatum esse, cur ad illam orationem solam confugiamus, nulla causa subest.

Ex Catonis libro de re militari, quamvis hic tantum citato, fluxisse VI 4, 5, cum saepissime noster adierit Porcium, facile mihi persuadeo. Ad eundem fontem, dico Catonis librum de re militari, revocanda esse l. X cap. 8 et 9 certis indiciis ostendere mihi posse videor. Altero enim loco, quo Gellius vocabula militaria, quibus instructa certo modo acies appellari solet, enumerat, in libris eorum, qui de militari disciplina scripserunt, illa se invenisse fatetur, auctoris nomen reticens. Quis ille fuerit, ex capite quod antecedit erui potest. Disserit enim Gellius, inter militares ignominias, quibus milites exercebantur, fuisse san-

guinis dimissionem, neque auctoris neque libri mentione addita. At de Catone ut fonte hic esse cogitandum prodit Frontinus IV 1, 16: „M. Cato memoriae tradidit, in furto comprehensis inter commilitones dextras esse praecisas aut si levius animadvertere voluissent, in principiis sanguinem missum.“ Quae sequuntur apud Gellium § 2 et 3, ab ipso addita esse censet Mercklin p. 668; quod ut sit veri simile, faciunt verba „cuius rei ratio in literis veteribus, quas equidem invenire potui, non exstat, sed opinor . .“ et § 3 „postea idem factitatum esse credo“. Nisi forte putamus Gellium huius rei rationem legisse apud Verrium de obscuris Catonis scribentem, lectionem autem dissimulasse. Cato igitur, quem partis certe cuiusdam capitis 8 auctorem fuisse docuimus, idem capitis noni fons statuendus est. Nec offendere nos debet, quod Gellius in libris de militari disciplina illa se ait legisse. Hunc enim librum eundem fuisse atque de re militari evincitur testimonio Vegetii (I 8): „Haec necessitas compulit evolutis auctoribus ea me in hoc opusculo fidelissime dicere, quae Cato ille censorius de disciplina militari scripsit.“ Vidimus igitur, ex libro quodam de re milit. haustum esse c 9, ex Catone cap. 8; quae coniuncta nobis praebent Gellii eundem scriptorem duobus capitibus continuis ad partes vocantis fontem utriusque capitis, Catonem de re militari.

2. P. Cornelius Scipio Africanus maior.

Oratione adversus M. Naevium pl. tr., quam Scipioni vindicat, haud scio an noster usus sit IV 18, 3—6. Exstitisse enim haec oratio videtur etiam Gellii ipsius aetate, ut elucet verbis (§ 6) „fertur etiam oratio, quae videtur habita eo die, a Scipione, et qui dicunt eam non veram, non eunt infitias, quin e. q. s.“ Exemplum eius fiduciae IV 18, 7—12 positum, ut alia de Scipione tradita, ex Hygini libris de viris illustribus sumptum esse potest.

3. P. Cornelius Scipio Africanus minor.

Huius orationes Gellii temporibus lectitatas esse cognosces ex M. Aurelii epistula ad Frontonem missa (cf. Front. ep. II 10 p. 34 Nab.) „feci tamen per hos dies ex libris sexa-

ginta in quinque tomis: sed cum leges sexaginta: inibi sunt et Novianae et Atellaniolae et Scipionis oratiunculae." Cf. Gell. II 20, 5 „quod apud Scipionem omnium aetatis suae purissime locutum legimus." Ex oratione pro se contra Tiberium Asellum habita excepit Gellius locum integrum VI 11, 9; ex orat. contra eundem Asellum quinta II 20, 6; ex oratione, quam censor habuit ad populum de moribus V 19, 16.

IV 20 memoriae prodit Aulus eos esse notatos a censoribus, qui iis audientibus dixissent ioca quaedam intempestiviter, eiusque rei duo affert exempla, quae Scipionem Africanum Pauli filium posuisse ait „in oratione, quam dixit in censura, cum ad maiorum mores populum hortaretur" (cf. V 19, 16.). In eodem capite etiam ex Masurii Sabini memoriali septimo tertium addit exemplum Gellius. Utrumque, et Scipionem et Masurium, adhibitum esse a Gellio ut putem, maxime me movet, quod orationis Scipionis accuratissima mentio est facta, tum quod noster illius orationes se legisse ipse fatetur V 19, 15. II 20, 5. Ex oratione in Sulpicium Galbam habita originem duxisse arbitror VI 12; verba ipsa § 5 adnectuntur, quibus quasi isagogica praemissa sunt verba § 1—3. Vergilii versum § 6 et Ennii vocem § 7 absoluto iam capite de suo adiecerit Gellius.

4. Cassius Hemina.

Fragmentum quod Gellius XVII 21, 3 servavit ex Cassii primo annalium, cuinam Cassio sit tribuendum, Longino, qui Hadriani aetate floruerit, an Heminae, dubitat H. Peter.*) Sed ut opineris, Cassium a Gellio ipsum esse inspectum, quod non sine aliqua dubitatione contenderim, antiquiorem

*) cf. H. Peter, vett. hist. Rom. rell. p. CLXXV: „de ceterorum fragmentorum solo fr. 8, quod servavit Gellius, incertus haereo, utrum Longino an Heminae tribuam. nam cum Longinus paulo post annum 136. 889 scripserit, Gellius post mortuum Hadrianum, quem divum dicit (III 16, 12. XI 15, 3) i. e. post annum 138. 891, tempus non obstat atque ipsa res ex Cassio inserta huic sententiae etiam favet. contra cum annalium inscriptio Latinum scriptorem indicare videretur (Schmitter p. 6) hanc suspicionem movisse satis habui et in Heminae reliquiis illa Gellii verba locum suum retinere passus sum.

potius illum Cassium Heminam Gellius intellexisse mihi videtur.

5. Q. Fabius Pictor.

Semel Q. Fabius Pictor, qui Latinos annales condidit, occurrit, sed ita ut non ipsum auctorem, sed per alterum Gellio laudatum fuisse credam, V 5, 3, quod caput grammatico cuidam vindicem. Quae I 12, 14 et X 15 ex Fabio Pictore protulit noster, Numerio Fabio Pictori tribuo Huschkium secutus.

6. L. Calpurnius Piso Frugi.

Simplicissima suavitate et rei et orationis L. Pisonem usum esse praedicat Gellius XI 14, 1. Totum caput VII 9 („quod res videbatur memoratu digna, quam fecisse Cn. Flavium .... L. Piso in tertio annali scripsit eaque res perquam pure et venuste narrata a Pisone, locum istum totum .. transposuimus") Gellio praebuit. — Ex annali primo, quo de Romuli regis vita atque victu scriptum fuit, petitum est XI 14, ex secundo XV 29.

7. Gaius Sempronius Gracchus.

X 3 iudicium fertur de Ciceronis et Gracchi, qui nonnullis videbatur severior acrior ampliorque esse M. Tullio, dicendi genere, collatis locis ex Gracchi orat. de legibus promulgatis et Ciceronis Verr. V. Eiusdem orationem, qua legem Aufeiam (?) dissuasit, ad partes vocavit Gell. XI 10, quod caput totum ex illo desumpsit.—XV 12 locum de parsimonia ac pudicitia Gracchi memoratissimum ex oratione ad populum in contione habita cum ex Sardinia rediit, integrum transposuit. XX 6. I 7, 7. IX 14, 16 nihil ad nos pertinent.

8. C. Sempronius Tuditanus.

Sempronium Tuditanum duobus tantum locis citat Gellius XIII 15, 4 et VII 4, 1; priore loco ex Messalae auguris de auspiciis libro primo, posteriore ita, ut quod de Atilio Regulo refert, nuperrime legisse se scriptum in Tuditanis libris pronuntiet. Cuius Tuditani nude positi cum hoc uno loco vestigia in usum vocati appareant, Gellio nuperrime se legisse contendenti fidem non esse habendam censeam

facileque adducor ut in Tuberonis historiis memoriam Tuditani inclusam fuisse arbitrer.

9. Sempronius Asellio.

Suo iure Mercklin p. 704 not. 15 monuit, Asellionem apud Gellium in additamentis tantum occurrere uno loco excepto, II 13, qui, totus translatus ex rer. gest. libro quinto, dilucide demonstrat nuperrime demum (nunc quoque) Gellium adhibuisse illius libros. In additamentis obvius est l. IV—XIII 3, 6. l. V—II 13, 10., l. XIII—IV 9, 12., l. XIV—XIII 22, 8. Restat V 18, 8, quem locum totum cum Kretzschmero p. 71 Verrio Flacco dederim, cum quamvis in iis quae hodie exstant Verrii reliquiis Sempronii mentio non fiat, tamen cum iis, quae praecedunt, artissime cohaereat neque facile ab illis possit seiungi.

10. Q. Claudius Quadrigarius.

Claudium quoque Gellio in deliciis fuisse primo conspectu apparet atque saepissime in auxilium esse vocatum cum multi loci Gelliani testantur, tum XVII 2, quo capite verba ex Q. Claudii annalium primo cursim in legendo notata contulit, cf. § 2: „haec verba ex Q. Claudii primo annali... notavi quem librum legimus biduo proximo superiore". Quadrigarium identidem a Gellio testem excitatum videmus et ita, ut, quin ex ipso hauserit Gellius, dubitari nequeat, veluti VI 11, 7. II 19, 7. IX 14. XVII 13, 5. 6. XIII 30, 7. X 13, 4 et ita, ut per alterum nostro eum laudatum esse magna cum probabilitate statuendum sit, veluti I 7, 9. I 16, 1. X 1, 3. XX 6, 11. V 21, 6.

Locis nonnullis ex Claudio Quadrigario transsumptis disputationes adnectuntur XIII 29. XVII 2. denique IX 1, quocum conferendus est alter locus XV 1,

Denique inveniuntur loci quibus Gellius absoluto iam capite verba pauca ex suo ipsius penu hausta ut mihi quidem videtur, quae apud illum scripta legit, addidit, III 7, 21. V 17, 5. II 2, 13.

Manlii Torquati adulescentis nobilis et hostis Galli provocantis pugnam, quam Q. Claudius primo anna-

lium purissime atque inlustrissime simplicique et incompta orationis antiquae suavitate depinxit, in suas noctes transtulit Gellius Claudii ipsius verbis IX 13, 7—19. Ex eodem fluxisse verba § 20 allata (ab hoc Tito Manlio imperia et aspera et immitia Manliana esse dicta) magnam veritatis speciem prae se fert. Ex eodem Q. Claudio Quadrigario desumpsisse Gellium historiam de Valerio Corvino IX 11 relatam recte cognoverunt Mercklin (cf. ind. schol. Dorp. 1861 p. 12 sq.) et H. Peter (Q. Claudii Quadr. ann. rell. Francof. 1868 p. 17 et hist. Rom. rell. p. 211). Liceat mihi apponere verba, quae Peter cui prorsus assentior facit de hoc loco, de quo ultro feceram iudicium simile: „Quamquam hoc fragmentum non est traditum sub Quadrigari nomine, tamen vix poterit dubitari, quin ex eo depromptum sit. Primum enim is erat mos Gellii, ut eundem scriptorem compluribus deinceps capitibus transscriberet (v. Kretzsch. p. 4 sqq., Merckl. Citiermeth. p. 664 sq.), ex Claudio autem, quo solo annalium scriptore in hoc libro usus est, etiam capita primum et tertium decimum sumpsit; deinde ita concinit haec narratio cum Quadrigarii verbis, quibus simile certamen Gellius cap. 13 exposuit, et toto colore et singulis quibusdam vocibus (cf. c. 11 si quis pugnare secum auderet c. 13 si quis secum depugnare vellet. c. 11 spectante utroque exercitu c. 13 utroque exercitu inspectante), ut fieri non possit, quin utraque narratio ex eodem auctore fluxerit. Sed accedit, quod etiam hoc certamen Livius (VII 25 et 26) ita narrat (seqq. verba Liv.) .... Vides igitur eum vel in minimis rebus consentire cum Gellio; nam quod Gellius de duobus consulibus loquitur, Livius de uno, errori Gellii id adscribendum esse adparet; itaque cum etiam VII 9 Livium ante oculos habuisse Claudium demonstraverimus, et eum etiam hic eodem auctore usum esse consentaneum est, et firmatur hoc consensu sententia nostra de Gellii fonte.“ Quod iudicium ab H. Petero propositum eo etiam magis comprobatur, quod utraque historia cognomentorum explicandorum causa affertur Corvini et Torquati, et quod consulum praescriptionem IX 11, 3 obviam alibi redire videmus, ubi ex

Quadrigario Gellius hausit, ex. gr. III 8, 6. Utrumque autem caput, et undecimum et tertium decimum tribuendum esse Claudii annalium libro primo, quo res ab a. 390 minimum usque ad a. 320 vel usque ad a. 311, fortasse usque ad finem alterius belli Samnitici (304) complexus est, recte iudicavit Peter. Quae Gellius IX 11 § 10 de statua Corvino ab Augusto in foro constituta tradit, de suo adiecit, id quod ipse innuit: „in eius statuae capite simulacrum est.“ Habes igitur seriem capitum ex Claudio haustorum IX 11; 13; 14 similem ordini capitum ex Aristot. probl. XIX 2; 4; 5; 6 desumptorum.

Sed altero quoque loco Claudii Quadrigarii vestigium apud Gellium me deprehendisse puto, V 5, cuius lemma est: „cuiusmodi ioco incavillatus sit Antiochum regem Poenus Hannibal.“ Gellius nomen scriptoris, a quo sua accepit, omnino reticens in libris veterum memoriam scriptum esse ait, indiciis vero nonnullis, quae circumspicere cogimur, iterum atque iterum deduci nos videmur ad Q. Claudium Quadrigarium. Compara enim structuram atque tenorem huius capitis cum capite l. IX undecimo et tertio decimo: idem invenies concisum atque tenue genus dicendi membris brevibus atque pressis, eandem commutationem temporis imperfecti et praesentis. Sed cum alia testimonia, quibus niti possumus, nobis non suppeditent, certum iudicium proferre non audeo.

Tertio annalium libro, ex quo etiam capitis praecedentis § 21 desumpsit Gellius, usus est III 8, 5—8, quo postquam ex Valerii Antiatis historia narratiunculam illam notissimam de Pyrrho necando protulit, Quadrigarii sententiam de medici nomine contrariam exemplumque literarum a C. Fabricio et Q. Aemilio ad Pyrrhum regem missarum nobiscum communicat.

Ab hoc Quadrigario facilis est transitus ad aequalem fere eius, ad Valerium Antiatem.

11. Valerius Antias.

In quaestionibus grammaticis ita, ut aliunde eius mentionem derivasse Gellium appareat, eum testem advocatum

videmus I 7, 10 et VI 9, 9. 12. 17. Valerii Antiatis sententias a ceteris omnibus scriptoribus diversas profert VI 19, 8 et VII 8, 3 quae cum in fine totius capitis sint positae, quin ex Valerio ipso fluxerint, non dubium esse videtur. Valerii Antiatis opinionem rursus ab alia diversam, quam ex ipso hausisse videtur Gellius, ponit loco quem supra iam commemoravi III 8.

Valerii mentionem VII 7, 6 factam redire ad Masurii Sabini auctoritatem recte perspexerunt Dirksen (die röm. rechtl. Quellen des Verr. Flacc. und Fest, act. acad. Berol. 1852 p. 150 ann. 63), Mercklin (l. l. p. 645.), Peter (die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer, Halle 1865, p. 48).

12. L. Cornelius Sisenna.

Ad res tantum, quae ad grammaticam pertinent, confirmandas Gellius Sisennae testimonio utitur XI 15, 7. IX 14, 12. II 25, 9. XII 15. Hoc solo loco quem postremum laudavi Sisennae historias ipse in manibus habuisse videtur, id quod apparet verbis § 1: „cum lectitaremus historiam Sisennae adsidue."

13. Q. Aelius Tubero.

Sequor iudicium H. Peteri contendentis hunc Tuberonem Quintum fuisse minorem aequalem fere Ciceronis (cf. vett. hist. Rom. rell. p. CCCLIX).

Eius historias duobus deinceps capitibus adiit Gellius VII 3 et 4; utroque capite agitur de Regulo, priore, cuius lemma historiam ex libris Tuberonis sumptam esse indicat, Regulum in Africa proelium grande atque acre fecisse adversus unum serpentem invisitatae immanitatis narratur, posteriore Regulum, cum Carthaginem redisset, novis exemplorum modis excruciatum a Poenis esse. Addita sunt hic verba Tuberonis ipsa. Cum huius quoque capitis lemma Tuberonis nomen exhibeat et cum duobus continuis capitibus idem redeat, quin eum ipsum Gellius adhibuerit, vix ambigi poterit. Eiusdem Tuberonis historiarum libri primi mentionem facit Aulus tertio quoque loco X 28 non minus ex Aelio transsumpto.

Iam vero necesse est nos progredi ad eum, cui ut in rebus grammaticis ita in iis quoque, quae ad historiam atque ad antiquitates pertinent, principem locum a Gellio delatum esse videmus, ad Marcum Terentium Varronem. Quanto tamen studio eum amplexus sit Aulus in rebus grammaticis et quam multis locis eum in auxilium vocaverit, id quidem Kretzschmeri opera iam exploratum atque cognitum habemus. Meum nunc est docere non minus auctoritatis Gellium ei tribuisse permultis locis cum de rebus gestis tum de antiquitatibus agentibus.

14. M. Terentius Varro.

Ac primum quidem dicam de libris antiquitatum rerum humanarum, quorum vestigia nomine libri ipso addito nobis occurrunt XI 1. XIII 12 et 13. III 2. Primo loco disserit Gellius de origine vocis Italiae deque multa et nonnullis aliis rebus. Gellium totum hoc caput hausisse ex Varronis rer. hum. l. XXI qui in 5. demum paragrapho laudatur atque ex eodem fonte et Timaei memoriam repetiisse Kretzschmer p. 45 et Mercklin p. 649 sq. contenderunt neque habeo quod eis ita explicantibus diffidam. — Idem rer. hum. liber usui fuit Gellio XIII 12 et 13, qui tum adsiduum in libris M. Varronis se fuisse fatetur 13, 4. Priore loco Mercklinum ducem secutus (cf. l. l. p. 649) et Ateium Capitonem et Varronem adhibitos esse puto, ita ut nec Varronis nomen nec verba acceperit ab Ateio. Suo enim iure Mercklin Varronis usum Gellianum frequentissimum fuisse affirmans particula „postea“ § 5 posita negat errore nos posse implicari, cum adnexa sint verba „enarratius scriptum invenimus“. — Tertio loco III 2 agit Gellius de diebus secutus M. Varronis librum rer. hum. quem de diebus scripsit. Quod caput Gellium totum praeter Vergilii versus exeunte capite additos ex Varrone deprompsisse nemo erit qui neget, atque ex eodem fonte fluxisse censeo quae § 12 et 13 tradita sunt, cum, ut recte meo iudicio vidit Kretzschmer § 3, Q. Mucium Scaevolam Gellius nunquam videatur adisse. Quinam autem rer. hum. librorum ille fuerit de diebus cum coniectura tantum assequi

possimus, non dubito Krahnero (commentat. de M. Ter. Varronis antiquit . . . libr. XLI p. 25 sq.) adstipulari atque Kettnero (Krit. Bemerkungen zu Varro p. 14 sq.) librum de diebus fuisse quartum decimum rer. hum. probabiliter suspicantibus. — Libro rer. hum., cui titulus est de bello et pace, ex quo indutias qua ratione definierit Varro, Aulus nos docet, Krahnero (l. l. p. 28) auctore assignem quae habet Gellius X 27. Ait Gellius in literis veteribus exstare memoriam, parem quondam fuisse vigorem populi Romani atque Poeni. Sequitur notissima illa historia, Romanos misisse Carthaginiensibus hastam et caduceum, signa belli aut pacis, e quibus utrum vellent eligerent, Varronem autem tradere non hastam et caduceum missa esse, sed duas tesserulas, in quarum altera caduceum, in altera hastae simulacra fuissent incisa. Hoc igitur caput quo agitur de signis belli et pacis, optime quadrare ad rer. hum. librum cui titulus fuit de bello et pace nemo non videt. At certi quidquam destitutus aliorum testimoniorum auxilio pronuntiare non audeo. —

In antiquitatibus scriptum fuisse seniores a iunioribus domum reductos esse eumque morem accepisse Romanos a Lacedaemoniis Gellius refert II 15, 1. 2. Nomen quidem auctoris quamquam plane dissimulatur, tamen de Varrone tanquam fonte facile ut cogitemus commovemur. Sed oritur quaestio, utrum Gellius antiquitatum rer. hum. libros adierit, quorum sex primos de hominibus egisse Augustinus de civ. d. VI 3 scribit (ad quos quidem necessitate quadam deduci videmur verbis „in antiquitatibus scriptum fuit“) an Aetiis potius usus sit, quibus quid a quaque gente per imitationem Romani traxissent, disputatum esse satis inter omnes constat; suffragatur huic quam modo movi suspicioni, quod Plutarchus quaest. Rom. 44 eundem Romanorum morem laudans Varronis Aetiis ut fonte praecipuo usus esse videtur (cf. Thilo, de Varrone Plut. quaest. Rom. auctore praecipuo. Bonn 1853. p. 33). Sed utcunque res se habet, nihil impedit, quominus, quae in libris rer. hum. exposuerit Varro, in Aetiis repetere eum atque explicatius enarrare potuisse arbitremur.

Pergam ad libros antiq. rerum divinarum, qui quidem, quatenus ad nostrum propositum referri possunt, uno vel

duobus tantum locis laudantur, XVI, 16 et 17. Quae capita, quorum altero Varro auctor proditus est libro non addito, altero Varro in libris divinarum citatur, ex quarto decimo desumpta esse recte Kretzschmer l. l. p. 46 sq. et Mercklin l. l. p. 670 statuerunt.

Ex iisdem rer. divin. libris petita esse I 19 „de libris Sibyllinis ac de Tarquinio Superbo", quod luculenter demonstrari possit, contendit Kretzschmer p. 45. Ac recte is quidem. Varronem enim de libris Sibyllinis egisse testatur Dionys. Hal., qui, postquam eadem fere et iisdem fere verbis ac noster rettulit, in fine c. 62 l. III dicit: *„λέγω δὲ ἃ Τερέντιος Οὐάρρων ἱστόρηκεν ἐν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ."* Accedunt testimonia et Servii ad Aen. VI 72 et III 445 et Augustini de civ. d. l. XXIII c. 23 quae invenies ap. Merkel (Ovid. fast. proll. p. CXVII). Iam vero si quaerimus, cuinam libro rer. div. hoc Gellii caput sit assignandum, viam quasi monstrat sententia in fine (§ 11) posita: „Ad eos quasi ad oraculum quindecimviri adeunt, cum di immortales publice consulendi sunt". Varronem igitur in libro quo de quindecimviris egit, de Sibyllinis libris disseruisse suspicari possumus. Quam suspicionem nostram confirmat testimonium Lactantii I 6: „M. Varro, quo nemo unquam doctior ne apud Graecos quidem neque apud Latinos vixit, in libris rer. div. quos ad C. Caesarem scripsit pont. max., cum de XV viris loqueretur Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllae." Quod si recte demonstravi, Varronem in uno eodemque libro et de XV viris et de libris Sibyllinis egisse, testimonio Augustini deducimur ad rer. div. l. IV; haec enim sunt verba Augustini (de civ. d. VI 3): „sunt autem omnes (libri rer. hum.), ut diximus, sedecim, quia et istorum exordio unum singularem, qui prius de omnibus loqueretur, apposuit; quo absoluto consequenter ex illa quinquepertita distributione tres praecedentes, qui ad homines pertinent, ita subdivisit, ut primus sit de pontificibus, secundus de auguribus, t e r t i u s d e q u i n d e c i m v i r i s s a c r o r u m". Adde librum illum singularem in capite positum qui prius de omnibus loqueretur: habes l i b r u m q u a r t u m r e r. d i v., qui fons nostri capitis, I 19, est statuendus.

Altero quoque loco vestigium aliquod rer. div. librorum Varronis mihi deprehendisse videor, II 28, cuius capitis est lemma: „Non esse compertum cui deo rem divinam fieri oporteat cum terra movet." Quamquam in fine demum paragraphi 3 M. Varro proditur libro non adscripto, tamen eundem totius capitis auctorem esse intelleges, si memoria tenes, cum alia pars capitis certo auctori tribuatur, alia sine auctore adiecta sit, cuncta ad unum eundemque referenda esse. Varronem igitur maximam utique partem capitis Gellio praebuisse pro certo habendum est. Quaerentibus autem nobis, cuius operis cui libro hoc caput tribuamus, iterum ad libros rer. div. vocamur, et — ut recte vidit Merkel cf. Ov. fast. proll. p. CLIII — ad librum octavum. Ex indice enim ab Augustino servato Varronem illo libro de feriis disseruisse videmus, ferias autem institutas esse, cum terrae motus nuntiarentur, e Gellii ipsius verbis apparet (§ 2: „ubi terram movisse senserant nuntiatumve erat, ferias eius rei causa edicto imperabant"), quare Merkelio ad rer. div. librum octavum haec referenti assentiri non vereor. Quae inde a § 4 apud Gellium scripta legimus, cum minime cohaereant cum iis, quae antecedunt, non a Varrone ex Catonis orig. libr. IV in suum opus translata, sed a Gellio ipso desumpta esse iam supra monui (cf. p. 11.)

Haud scio an ex iisdem rer. div. libris fluxerit caput sextum libri XI, quo mulieres Romae non per Herculem iurasse, viros non per Castorem Gellius disserit Varrone auctore, cuius § 5 operis nomine omisso ita facit mentionem, ut eundem fontem totius capitis intellegas; verba enim Varronis ab iis, quae sine auctore praecedunt, dirimi nequeunt. Disputavit autem Varro, si Augustinum (l. l.) sequimur ducem, (cf. Merkel l. l. p. CXCV) de diis certis, quibus et Castor et Pollux et Hercules adnumerandi sunt, libro rer. div. XIV, quem maxime familiarem fuisse Gellio demonstrant I 18. III 16. XV 30. XVI 16 et 17. Sed ne hoc quidem loco discernere audeo, utrum in rer. div. l. XIV, an alio quodam Varronis Gellius haec legerit, cum testimonia, quae dubitationem solvant, aliunde non suppetant.

Annalium quoque Varronis usum fuisse Gellio compluribus locis meo iure contendere mihi posse videor. XVII 21 § 24 opere non indicato laudatur Varro, cuius opinio opponitur Nepotis. Testatur Gellius ipse se excerpsisse e libris, qui chronici appellantur, easque excerptiones suas variis diversisque in locis factas cursim digessisse (§ 1). Commemorantur § 3 Cassii annalium primus et Cornelii Nepotis chron. I, Nepos Cornelius nude positus § 8. 24., M. Varro § 24. E verbis, quae supra laudavi, Gellium Varronianos quoque libros chronicos i. e. annales adisse elucere videtur; atque Ritschl quoque (Rh. Mus. vol. VI p. 510 ann. 2 cf. opusc. vol. III p. 449) praeter Nepotis aliorumque annales Gellium et Varronis adhibuisse, e quibus illa de M. Manlio narrata exscripsisset, suspicatur. — Alterum quoque locum ut libentius attribuam Varronis annalibus, plura me movent. Laudantur c. 11 l. II L. Sicinii Dentati res egregie gestae, quem strenuum bellatorem fuisse nomenque ei factum ob ingentem fortitudinem appellatumque esse Achillem Romanum scriptum est in libris annalibus. Varronem egisse de Sicinio Dentato apparet testimoniis Valerii Maximi III 2, 24 („sed quod ad proeliatorum excellentem fortitudinem attinet, merito L. Sicci Dentati commemoratio omnia Romana exempla finierit, cuius opera honoresque operum ultra fidem veri excedere iudicari possent, nisi ea certi auctores, inter quos M. Varro, monumentis suis testata esse voluissent"), Fulgentii (de prisc. serm. v. nefrendes: „et apud Romanos Varro scripsit Siccium Dentatum centies et vicies pugnasse e. q. s.), Festi (v. coron. obsidion. p. 190. 30 ed. Müller: „quae corona (obsid.) magnae auctoritatis fuit: nam et P. Decio datae duae sunt . . . et L. Sergio Dentato qui Achilles Romae existimatus est"), apud quem Varronis nomen intercidisse Merkel (Ov. fast. proll p. CV) intellexit; apud Plinium quoque et ipsum Varronis nomen reticentem VII 28. 29 (101 sqq.) similia leguntur. Apud Valerium Maximum desunt nomina consulum atque mentio cognominis Dentato dati, Fulgentius utrumque omisit, Festus cognominis tantum, Plinius consulum mentionem facit; omnia vero, quae apud Valerium, Fulgentium, Festum, Pli-

nium, Gellium leguntur, quin ad Varronem auctorem referantur, nequaquam est dubitandum. Atque Zschech quidem (de Varrone et Livio Valerii Maximi fontibus p. 43 an. 1) et Kettner (Varronis de vita pop. Rom . . . . quae exstant p. 13) ex Varronis rerum humanarum libris caput nostrum translatum esse putant, causam vero, qua haec opinio commendetur, nullam video; cum enim ex Hieronymi indice Varronem quoque annalium librorum conditorem fuisse constet, nihil iam obstat, quin mentione Gelliana (in libris annalibus scriptum est) coniuncta cum reliquorum Varronis nomen solum exhibentium hoc caput ex Varronis annalibus fluxisse statuamus.

Vides iam, quam ob causam minus recte iudicare videatur Kempf (ed. Val. Max praef. p. 20 ann.) credens Valerium haec in antiquitatum libris legisse, Varronem autem eundem fontem secutum esse quem A. Gellius II N. A. 11, qui haec ex annalium libris descripta esse testetur.

Iterum habes duo continua capita ex eodem auctore desumpta II 10 et 11.

Librorum de poetis primi mentio accuratissima facta est I 24, 3. Prodit memoriae Gellius epigrammata Naevi, Plauti, Pacuvi, quae facta ab ipsis sepulcris eorum incisa sunt. Prorsus adstipulor Kretzschmero l. l. p. 52 docenti, quamquam Gellius ad Plauti epigramma solum Varronem testem excitaverit, tamen non solum hoc, verum etiam reliqua a Varrone profecta esse; itaque non videri dubium, quin, qui Plautinum posuerit de poetis Romanorum disputans, idem etiam Naevii et Pacuvii rationem habuerit. — Idem liber primus de poetis in partes vocatus est XVII 21 § 43 de Ennio, § 45 de Naevio, quibus addendae erunt § 42 de Livio, § 47 de Plauto, § 49 de Ennio, Caecilio, Terentio, Pacuvio, Accio, Lucilio. — Dubito num ad eundem fontem, scil. ad Terentii librum de poetis primum revocandum sit XIII 2, cuius capitis lemma est: „Super poetarum Pacuvii et Accii conloquio familiari in oppido Tarentino“. Gellius nomen auctoris atque operis tecte tantum significans his incipit verbis: „Quibus otium et studium fuit vitas atque aetates doctorum hominum quaerere ac

memoriae tradere, de M. Pacuvio et L. Accio tragicis poetis historiam scripserunt huiuscemodi". Quae verba optime quadrare in Varronem nemo non videt, quippe quem de vitis atque aetatibus doctorum hominum i. e. poetarum scripsisse ex capitibus, quae modo laudavi, appareat, I 24. XVII 21; neque quisquam erit, qui neget, minime quae hoc loco scripta legimus abhorrere ab argumento librorum de poetis. Pluralis vero numerus (quibus . . . fuit, . . . scripserunt) offendere nos non debet, cum consuetudo sit Gellii plures indicandi auctores ubi unus est intellegendus (cf. Kretzschmer l. l. § 3). Testimonia autem alia circumspiciens, quibus suspicionem meam fulciam, solus mihi succurrit Hieronymus (Ol. 160): „L. Accius tragoediarum scriptor clarus habetur . . . et seni iam Pacuvio Tarenti sua scripta recitavit". Hieronymum Suetonii libris de vir. ill., Suetonium Varrone usum esse cum satis inter omnes constet, consensus Hieronymi atque Gellii dubitationem nostram solvit. Ipso Varrone Gellium usum esse Ritschelius contenderat (Rh. Mus. vol. VI p. 515 = opusc. vol. III p. 455), rectius sine dubio Gellium hic non ipsum Varronem, sed Suetonium sequi Reifferscheidius statuit (ed. Suet. p. 424 ann.).

Transeo ad libros de imaginibus vel hebdomadum. Ex primo libro totum fere caput fluxit III 10; eandem originem prodit caput insequens, quo disserit Gellius de Homeri atque Hesiodi aetate. A Varrone profectam esse etiam mentionem Acci (§ 2) intellexit Kretzschmer l. l. p. 40, eidemque deberi nomina Philochori Xenophanis Ephori § 2 (cf. p. 4) Aristotelis § 6 persuasum habeo. Librum, quem hic citavit primum intellegendum esse librum isagogicum luculenter demonstravit Mercklin l. l. p. 665 cf. Rh. Mus. XIII p. 463, ind. schol. Dorp. a. 1857 p. 6. Ritschelii opusc. vol. III p. 533 sq. p. 546 sq. Addere hic liceat mihi non probari sententiam Kretzschmeri putantis de suo fortasse adiecisse Gellium Herodoti (cf. supra p. 7) et Homeri opiniones III 10 11, quae quidem optime conveniunt reliquis ex Varronis libro hebdomadum primo translatis. —

Varronis nomen solum opere non indicato obvium est XVII 4, 3.: „Euripidem quoque M. Varro ait cum quin-

que et septuaginta tragoedias scripserit in quinque solis vicisse cum eum saepe vincerent aliquot poetae ignavissimi.“ Sed non solum haec, sed etiam quae antecedunt de Menandro, ad Varronem referenda esse magna cum probabilitatis specie coniecit Mercklin cf. Rh. Mus. XIII p. 465, quae coniectura, si quid recte video, confirmatur particula „quoque“ post „Euripidem“ inserta. Mercklin cum hoc caput ex libris de poetis desumptum voluisset (cf. Die Citiermethode etc. p. 652), quibus de Romanorum tantum poetis egisse Varronem docuit Ritschl, errore suo deposito in memoriam revocans Quintiliani locum X 1, 72: „Philemon, qui ut pravis sui temporis iudiciis Menandro saepe praelatus est, ita tamen consensu omnium meruit credi secundus“, quibus cum verbis Gelliana quasi quodam modo concinant, et monens Quintiliano ante oculos fuisse indicem ex bibliothecis sumptum, de libris hebdomadum tamquam fonte cogitat, Apollodori autem mentionem factam esse a Varrone aliis quoque locis cf. de l. l. V 105. VI 2. Quae omnia cum recte mihi contendisse videatur Mercklin Rh. Mus. XIII p. 465 non habeo quod illi obloquar.

Ex hoc loco lux credo clara alii affulget, XV 20, quo eosdem libros de imaginibus a Gellio adhibitos esse putaverim, quamquam nec nomen Varronis neque opus est proditum. Refert Gellius de Euripidis poetae genere, vita, moribus, fine vitae. Ut autem XVII 4 verba, quae de Euripide posuit Gellius, ex Varronis hebdomadum libris relata esse coniecimus, ita hoc loco de eodem Euripide ex iisdem hebdom. libris explicatius eum disserere valde est probabile; quid enim aptius est et magis congruit descriptioni, quae in libris de imag. nobis statuenda erit, quam haec brevis vitae enarratio? Adde, quod unius quidem Philochori memoriam reddidimus Varroni III 11, 2, quod caput totum ei assignavimus; neque quidquam est, cur Theopompi (cf. supra p. 5), cuius nomen solum sine libro tradidit, notitiam et versus Aristophanis et Alexandri Aetoli Varroni abiudicemus, quamquam in fragmentis ex ipso servatis nulla illorum vestigia invenisse me profiteor; favet praeterea meae coniecturae, quod Terentius in eorum numerum referendus

est, quibus otium et studium fuit vitas atque aetates doctorum hominum quaerere ac memoriae tradere (XIII 2, 1).

Num ad eosdem libros nobis confugiendum sit XV 31 quamvis animi anxius quaestionem moveo („quae verba legaverint Rhodii ad hostium ducem Demetrium, cum ab eo obsiderentur, super illa incluta Jalysi imagine"). Protogenem inter pictores a Varrone in hebdom. libris enumeratos locum suum obtinuisse probabiliter suspicati sunt et Mercklin (ind. schol. Dorp. 1857 p. 10 sqq.) et Ritschl (ind. schol. Bonn. 1858 p. XIV = opusc. vol. III p. 560) nixi testimoniis Quintiliani XII 10, 6 et Plinii nat. hist. XXXV. § 76 — 144. Quamquam mirum est, quod Plutarchus v. Demetr. c. XXII et Plinius n. h. § 102 Protogenem, cum Demetrius bellum contra Rhodienses suscepit, vivum fuisse referunt, cum Rhodiensium legati apud Gellium petant regem consideret ne turpe sibi sit quia non potuerit bello Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo gessisse. Qua tamen ratione hanc scriptorum dissensionem solvam, equidem non habeo, omnino autem in re tam incerta hanc quaestionem movisse satis sit.

Disciplinarum quoque libros iterum ac saepius a Gellio adhibitos esse perspexit Ritschl (ind. schol. Bonn. 1845 = opusc. vol. III p. 352 sqq.), cui totus assentior I 20. XVI 18, fortasse et X 7, ad librum IV de geometria, X 1. III 14. XVIII 14 et 15 ad librum V de arithmetica referenti.

Denique mihi hic in censum venire videtur I 11, ubi Gellius quanta auctoritate apud antiquos fuerit musica ars et in proeliis et in contione pluribus disserit. Affert et opiniones et verba ipsa Thucydidis, Herodoti, Ciceronis, Aristotelis. Quae omnia cum artissime inter se cohaereant, Aulum sua ex illis, quos nominavi, scriptoribus contaminasse et in ordinem redegisse facere non possum ut putem. Circumspicientibus igitur nobis, ad quemnam tota narratio optime possit referri, iterum occurrit is, quo neminem magis idoneum fuisse censeam, M. Terentius Varro, cuius ex libris novem disciplinarum unus de musica, liber septimus, fuisse videtur. Quo libro ita Gellium usum esse putem, ut libros Thucydidis (cf. p. 7), Herodoti (cf. p. 6),

Aristotelis Ciceronis a Varrone commemoratos postea ipse inspiceret et ex iis verba in suum opus transferret. Neque coniecturae nostrae temporum ratio repugnat. Ciceronis enim libri de oratore, qui soli nostro loco respiciendi sunt, compositi sunt anno 699 a. u. c., Varronis autem libri disciplinarum ex postremis operibus fuisse videntur, a. circ. 720 a. u. c. compositi.

Similia de arte musica legimus ap. Quintil I 10, 9 sqq., qui et ipse morem Lacedaemoniorum atque Romanorum a Gellio traditum tangit et de eodem Graccho eadem refert.

Varronis quaestionum epistulicarum liber quartus duobus deinceps capitibus, quorum utrumque ad antiquitates pertinet, nobis occurrit XIV 7 et 8; XIV 7, 3 „Varro ait in literis, quas ad Oppianum dedit, quae sunt in libro epistulicarum quaestionum quarto", XIV 8, 2, „M. autem Varro in quarto epistulicarum quaestionum."

E logistoricis duo ad nos pertinent, Orestes vel de insania, quem solum in partes a Gellio vocatum esse censemus XIII 4, alter est Pius aut de pace XVII 18, in quo M. Varro C. Sallustium historiae scriptorem deprehensum ab Annio Milone in adulterio et loris caesum pecuniaque data dimissum scribit.

Nec multo frequentior apparet usus satirarum Menippearum apud Gellium. E quarum numero duae ad antiquitates privatas pertinent VI 16 (§ 1: „M. Varro in satura, quam *περὶ ἐδεσμάτων* inscripsit, lepide admodum et scite factis versibus cenarum exquisitas delicias comprehendit. Nam pleraque id genus, quae elluones isti terra et mari conquirunt, exposuit inclusitque in numeros senarios"); § 3—5 enumerantur genera nominaque edulium et domicilia ciborum. Fortasse etiam § 6 ex eodem fonte fluxit. Alter locus est XIII 11 ex M. Varronis libro, qui inscribitur „nescis quid vesper serus vehat", totus fere integer transscriptus. Ad antiquitates publicas pertinet III 18; praemittit Gellius Gavii Bassi definitionem senatorum pedariorum ex commentariis (i. e. ex libris de origine verborum et vocabulorum cf. Kretzschmer l. l. p. 99) haustam, quam excipit Varronis definitio ex satira Menippea, quae

inscribitur Ἱπποκύων, desumpta. Utrumque meo arbitratu, et Gavium Bassum et M. Varronem, adiit Gellius; versum quoque Laberii in fine capitis positum de suo adiecisse videtur.

Restant duo loci, quos utrum Varronis auctoritati tribuam an alius, incertus haesito. VII 17 disputat Gellius de bibliothecis. Nostra verba mirum in modum concinunt cum Isidoro (VI 3), qui sua hausit e Suetonio, ita ut conicere nobis liceat Suetonio usum esse et Gellium. Suetonium enim operi de Romanarum literarum viris illustribus epimetri loco addidisse de bibliothecis deque omni re literaria disputationem eamque in suum usum convertisse Isidorum Reifferscheid v. d. (ed. Sueton. p. 419 sqq.) argumentis haud debilibus contendit. Ac Suetonium quidem Gellii fontem fuisse existimare videtur Reifferscheid. Sed Varro quoque tres de bibliothecis libros condidit, quos et Plinium (de chartarum usu scribens n. h. XIII § 68—70 Varronem se adisse ipse profitetur) et Suetonium advocasse verisimile est. Tertium deinde auctorem exsistere videmus Verrium Flaccum, quem comparatione Pauli p. 34 cum Isidoro VI 3 instituta Gellio hoc caput praebuisse opinatur Mercklin (cf. ind. schol. Dorp. 1861 p. 9). Id quidem mihi persuasit vir doctus ex consensu Pauli i. e. Verrii et Isidori apparere Verrium atque Isidorum i. e. Suetonium eodem fonte usum esse, Varrone; sed cum illos Varronis libros neque usquam laudet Gellius neque quidquam, quod iis probabiliter tribui possit, alibi praebeat et cum brevissima sit notitia, nihil obstare ait Mercklin l. l., quominus eam Verrio acceptam referamus, cui Varronis copias contrahendi quam amplificandi plures causae fuerint. Quae tamen opinio viri docti ex nimio quodam studio Verrii orta esse videtur. Varronem autem Gellius saepissime in auxilium advocavit, compluribus locis etiam Suetonium: utrum igitur eligas haeres: a Varrone stat frequentissimus Gellii usus, similitudo et rerum et verborum a Suetonio.

Alter locus, de quo dubius haereo, est XV 18. Pugnam belli civilis victoriamque Gai Caesaris, quam vicisset in Pharsaliis campis, nuntiatam praedictamque esse a Cornelio

quodam sacerdote refert Gellius. Idem vaticinium tradit Plutarchus v. Caes. c. 47 Livio auctore, quem libro CXI hoc narrasse verisimile est. At Livium, cuius ne uno quidem loco vestigia apud Gellium occurrunt, huic caput praebuisse, quis est qui credat! Confugiendum igitur esse videtur ad fontem et Livio et Gellio communem. Iterum quasi ultro se praebet M. Terentius Varro. Ritschelium enim si sequimur ducem (cf. quae doctissimus ille vir exposuit in Mus. Rhen. vol. VI p. 498 = opusc. vol. III p. 436 sq.) neminem magis idoneum fuisse concedemus, qui de Pompeio scriberet Varrone, qui eximia cum fide partes secutus erat Pompei, qui huius consilia noverat et diligenter iuverat, qui huius consiliorum atque fortunae particeps fuerat, cuius, quanto iniquiora aequalium de Pompeio iudicia fuerant, tanto plus post Caesaris victoriam a Pompeio reportatam interesse debebat se ipsum defendere atque purgare. Quam ob rem Ritschl hoc caput ad libros de Pompeio revocari posse censet, cum in illis libris de eo potissimum tempore, quo Romanorum reipublicae fortuna eiusque perpetuitas ex Pompei unius salute penderet, Varronem egisse veri sit simillimum. Et erat pugna illa Pharsalica, cuius exitus eo ipso die quo commissa est Patavi a sacerdote quodam praedictus est, finis quasi reipublicae et initium dominationis unius. Quibus argumentis commotus non sine aliqua probabilitatis specie caput nostrum ex Varronis libris de Pompeio originem traxisse suspicatur Ritschl. Sed Varronem huius capitis auctorem fuisse si statuàmus, non minus apte altero quoque loco eandem rem protulisse eum non abhorrere videtur a veritate, quartum librum dico de vita populi Romani, quo de interitu reipublicae liberae Terentium egisse e fragmentis colligi potest (cf. H. Kettner, Varronis de vita pop. Rom . . . quae exstant p. 21—39, Teuffel, Rom. lit. hist. ed. 4 p. 276). Denique iterum in censum hic venit Suetonius Tranquillus. Gell. enim XV, 4, 4 et Serv. Georg. IV 127 indicari videtur, ut verbis utar Reifferscheidii (Suet. p. 469—472), Suetonium praeter Caesarum libros, in quibus illa non leguntur aliam historiam pertexuisse, in qua res Romanae Pompei

et Antoni aetate enarratae fuerint. Iam vero in additamentis Hieronymi ad Eusebi chronicon haud pauca excerpta bonae et indolis et latinitatis conspiciuntur, quibus res Romanae inde a Pompei morte usque ad pugnam Actiacam inlustrantur . . . Certum quidem videtur non ultra Actiacam pugnam Suetonium progressum esse, quoniam excerpta Hieronymi in hoc tempus desinunt; sed pro incerto habendum est a quo tempore historiam orsus sit. nam fragmento Servi discimus etiam piraticum bellum a Suetonio narratum esse, ut appareat eum non a morte Pompei res Romanas perscripsisse; statuit denique Reifferscheid, hoc fuisse Suetoni consilium, ut imprimis bella civilia, quae cum Pompeio Caesar et Octavianus cum Antonio gessissent, enarraret, simul autem omnia complecteretur, quae ad vitam ipsorum ducum pertinerent. Inde igitur pronum erit conicere Gellium et hoc caput Suetonio debere, atque haec suspicio comprobari videtur, quod saepius in eodem libro decimo quinto, ut postea docere conabor, Suetonium adiit. Et haud scio an procul absimus a veritate opinantes, in his quoque libris componendis Suetonium Varronis vestigia persecutum esse. —

Haec quidem de Varrone, qui quantum praebuerit Gellio aut praebuisse videatur, quod quidem potuerim, indagare conatus sum.

15. L. Cincius.

Hertzium virum doctissimum sequor, qui L. Cincium, cuius hic nobis ratio est habenda, aetati multo recentiori tribuens quam L. Cincium Alimentum annalium Graece conscriptorum auctorem, Ciceronis temporibus fuisse statuit.

Ex huius libro de re militari tertio et quinto et sexto l. XVI caput quartum totum fluxit.

16. Cornelius Nepos.

Auctor is fuit Gellio XVII 21, 3. 8. 24, § 3 in primo chronico. Gellius cum ipse fateatur se excerpsisse e libris, qui chronici appellantur, non dubitandum erit, quin ex iisdem Nepotis chronicis praeter aliorum opera, imprimis

Varronis, plura huius capitis derivarit. Sed quae cuiusque fuerint, certis finibus includere vereor.

A Cornelio Nepote profecta est notissima illa narratio de iureiurando a decem captivis post pugnam Cannensem ab Hannibale Romam missis observato, VI 18. Cornelii quamquam exeunte demum capite mentionem facit Gellius, tamen totum caput ei ut vindicem, moveor particula quoque: „Cornelius autem Nepos in libro exemplorum quinto id quoque literis mandavit".

Eiusdem libri caput insequens utrum Cornelio Nepoti sit tribuendum, cum Gellius initio ipso in exemplis repositum fuisse pronuntiet (ut volunt Mercklin, die Citiermethode etc. p. 668 Kretzschmer de fontibus etc. § 2 p. 5 Hertz ed. Gell. ind. auct. p. 257) an ex Hygino sit desumptum (cf. Mercklin ind. schol. Dorp. 1861 p. 15) cum nostri capitis lemma „historia ex annalibus sumpta de Tiberio Graccho relata" conspiret cum lemmatis VI 1, IV 18, III 4, VIII 8, deinde cum, ut IV 18, commemorentur exempla (§ 1 in exemplis repositum est) in fine § 8 ut VII 8, 6 Valerii Antialis dissentiens memoria addita sit, difficile est diiudicatu. Quamquam non ignoro, quanti momenti sint argumenta a Mercklino (ind. schol. Dorp. l. l.) prolata, tamen et ego opinionem virorum doctorum secutus potius Cornelio Nepoti totum caput excepta brevi illa adnotatione ex Valerio Antiate in fine posita tribuam quam Hygino. Quod enim capite antecedente Nepotis exempla adhibita esse videmus, hoc vero accuratissime „in exemplis repositum est" proditur, id mihi gravissimum argumentum esse videtur, praesertim cum memineris hanc ipsam fuisse Gellii consuetudinem, ut duobus capitibus continuis eodem fonte uteretur. Nolo premere similitudinem lemmatis huius cum aliis nec Valerii Antiatis dissentientem memoriam in fine etiam alio loco additam — haec mihi levia esse videntur. Quid enim quod in lemmate posuit Gellius „historia ex annalibus sumpta", § 1 vero exempla profert? Quam repugnantiam ita explicem, ut statuam Gellium totum caput ex Cornelli exemplis hausisse et verba decretorum § 5 et § 7 invenisse in exemplis, in quibus ipsis ex annalibus ea

esse desumpta significatum fuerit, unde irrepserit in lemma mentio annalium. Quae opinio confirmatur si quid recte video Gellii ipsius verbis § 5 „eius decreti verba, quae posui, ex annalium monumentis exscripta sunt,“ non dicit exscripsi, minus igitur accurate et diligenter quam alias loquitur.

Ex libro de viris illustribus tertio decimo derivavit Gellius X 18: „Quid senserit dixeritque M. Cato de Albino, qui homo Romanus Graeca oratione res Romanas venia sibi ante eius imperitiae petita composuit“. Recte ut opinor rettulit Brinck (cf. Corn. Nep. ed. Roth cum Brinckii prolegg. p. VIII) vitam Catonis, ad quam noster locus pertinet, ad librum de historicis Latinis, qui tanquam pars subiectus est libris de ill. viris.

Quae Gellius XV 16 de novo genere interitus Crotoniensis Milonis narrat, mirum in modum concinunt cum Valerii Maximi verbis IX 12 ext. 9. Comparabo Gellium et Valerium:

Gell.	Valer. Max.
Milo Crotoniensis . . . cum iam natu grandis . . . desisset iterque faceret forte solus in locis Italiae silvestribus quercum vidit . . . patulis in parte media rimis hiantem. Tum experiri credo etiam tunc volens an ulla sibi reliquae vires adessent immissis . . . digitis reducere et rescindere quercum conatus est. Ac mediam . . . discidit divellitque; quercus autem . . . . cessante vi rediit in naturam manibusque eius retentis inclusisque stricta denuo et cohaesa dilacerandum hominem feris praebuit.	Milo Crotoniates cum iter faciens quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset, fretus viribus accessit ad eam insertisque manibus divellere conatus est. Quas arbor excussis cuneis in suam naturam revocata compressit eumque cum tot gymnicis palmis lacerandum feris praebuit.

Quae similitudo quamquam tanta est, ut verba paene singula et dicendi formulae inter se conspirent, paucis tantum mutatis et nonnullis a Gellio amplificatis, tamen cave,

ne putes Valerium auctorem fuisse Gellii. Quominus enim ita existimemus obstat quod Gellius plus servavit Valerio, apud quem neque tempus victoriae Milonis a Gellio § 1 traditum neque quibus locis perierit Milo scriptum videmus. Quam ob rem nihil aliud nobis relinquitur, nisi ut utrumque eundem fontem secutum esse statuamus. Quem fontem Gellius ipse innuere mihi videtur verbis „quem in chronicis scriptum est . . . coronatum esse". Neque enim mihi persuadere possum, ut credam Gellium praeter hanc brevem notitiam nihil debere chronicis; potius, quae eius est consuetudo, quamvis ad singula tantum laudentur chronica, ex iis tamen etiam reliqua desumpsisse eum statuere poterimus, neque Hertzius aliam opinionem amplecti videtur, qui vocem chronicis distentis literis excudendam curavit. Iam vero quaerendum est cuiusnam ex chronicis sua petierit Aulus? Chronica laudantur praeter Apollodori XVII 4, 5, quae nihil ad nos attinent, cum ex Varrone ut supra (p. 28) demonstravimus a Gellio translata sint, Nepotis solius XVII 21, 3: ad hunc igitur confugiendum nobis videtur, cuius et exemplorum et de viris illustribus libros Valerium adiisse coniecit Kempf cf. ed. Val. Max. praef. p. 18: „Magis etiam ambigimus de Cornelio Nepote cuius cum exemplorum libri tum qui de viris illustribus erant inscripti quorumque indoles atque dispositio simillima erat eius quam in hoc opere secutus est Valerius, facile praebuisse debent excerpendi occasionem. Qua usum esse eum certis quidem argumentis probare nequeo. Sed cum Plutarchus (Marcell. 30) de extremis M. Claudi Marcelli fatis deque ossibus eius ad filium perlatis Nepotis Valeriique testimonium Livii et Augusti aliter referentium auctoritati opposuerit, verisimile saltem est Valerium (VI ext. 6) praetermissis aliis, quae parum ad rem pertinere viderentur, — neque enim omnia, quae ab eo comprehensa putare possis, propter Plutarchi verba revera comprehendit — nonnulla de honoribus post mortem Marcello habitis e Cornelio Nepote ascivisse". Quae si comprobamus, certe non est, cur et chronica Nepotis nonnusquam a Valerio adhibita esse negemus.

Sed haec quaestio timide proposita, cum certis argu-

mentis aliunde petitis confirmare nequeam, in medio erit relinquenda.

Denique quae XV 28, 1—3 ex librorum primo, quos de vita Ciceronis Cornelius composuit, Gellius refert, non ab eo accepta esse, sed Suetonio deberi, postea demonstraturus sum (cf. p. 44).

17. C. Sallustius Crispus.

De Sallustii lectione Gelliana vide III 1, 1: „Hieme iam decedente cum Favorino philosopho ambulabamus atque ibi inter ambulandum legebatur Catilina Sallustii", imprimis vero IX 14, 26: „Ego quoque in Jugurtha Sallustii summae fidei et reverendae vetustatis libro . . . scriptum inveni". Ad geographiam magis pertinet X 7, ubi de maximis fluminibus loquentem Sallustium et Varronem pariter eum adiisse censeo; capitis pars ex Sallustio desumpta inerat in historiarum primo libro (cf. Hertz. ed. Gell. ind. auct.).

Sallustii historias Gellio ante oculos fuisse referenti XV 22 de Sertorii astu commenticiisque simulamentis quibus ad barbaros milites continendos conciliandosque sibi utebatur, argumenta non debilia testantur. Eandem enim rem scriptam legimus apud Val. Max. I 2, 4, quem Sallustii historiarum deperditis voluminibus usum esse praesertim in enarrandis rebus ad bellum cum Sertorio gestum pertinentibus, quod praecipua cura diserte atque copiose a Sallustio compositum esset, ostendit Kempf (ed. Val. Max. praef. p. 17 sq.). Nec modo Valerius Maximus, sed etiam Plutarchus in Sertorii vita describenda secutus est Sallustium ducem, atque recte monuit H. Peter (die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der Roemer p. 64), et Plutarcho et Gellio Crispum usui fuisse, cum et quae Plutarchus c. 11 et 20 v. Sert. memoriae prodat cum Gellio, et quae Gellius praemittat de moribus Sertorii, cum Plut. c. 11 conspirent. (De similitudine inter Plut. et Gell. intercedente cf. praeterea Plut. v. Sert. c. 4 et Gell. II 27.). Gellium quoque Sallustii historias lectitasse elucet cum ex illis locis, quos supra posui, tum ex iis, quibus de eodem

Sertorio agit II 27. X 26, 2. Scripsit autem Sallustius de Sertorio in historiarum libro primo (cf. X 26, 2).

18. Gavius Bassus.

Gavius Bassus in commentariis suis, item Julius Modestus in secundo quaestionum confusarum una laudantur a Gellio III 9, ita ut difficile sit diiudicatu utri scriptorum Gellius sua debeat. Gavius enim Bassus ut auctor huius capitis fuisse putetur, invitamur eo, quod omnibus sex locis, quibus Gellius eum testem adhibet, illius mentio tam accurata facta est, ut quin eius commentarii ipsi a nostro inspecti sint, ambigi nequeat, et quod eiusdem nomen repetitur § 8. Tamen ab hac sententia desistens Julio Modesto potius totum caput dederim, quamquam hoc uno loco eius meminit Gellius. Nam primum quidem per aetatis rationem Julius Modestus, qui libertus erat Hygini, liberti Augusti, laudare potuit Gavium Bassum, qui equum Seianum testatur se Argis vidisse, abduxit autem eum Argis P. Cornelius Dolabella, qui cos. a. 44 a. Chr. a. 43 pro consule in Syriam provinciam proficiscens ab itinere Argos devertit (cf. Kretzschmer l. l. p. 99); deinde, ut Mercklin l. l. p. 650 docuit, Gellius duos scriptores aut libros, quorum alterum ex altero cognovit, ita coniungere solet, ut fontem primarium solum altero loco positum accurate citet, denique Gellius in praefatione noctibus suis praemissa inter inscriptiones librorum argumento suis libris non dissimilium § 9 etiam quaestiones confusas enumerat, quam rem non parvi momenti esse ad explorandos auctores a Gellio adhibitos iudicat Mercklin p. 672 sqq. Neque aliter explicari potest, unde noverit Gellius Julii Modesti quaestiones confusas, nisi ipsum eas legisse statuimus.

19. Verrius Flaccus.

Verrii Flacci quartum de verborum significatu librum in usum advocavit Gellius V 17; quaeritur quam ob causam dies primi post Kalendas, Nonas, Idus atri habeantur; § 2 Verrii Flacci ipsius verba sequuntur. Ex libro rerum memoria dignarum primo desumptum est l. IV cap. 5 totum, de perfidia haruspicum Etruscorum. Plane assentior

Mercklino l. l. p. 651 contendenti annales maximos, quorum mentionem facit Gellius § 6, non ipsos ab hoc esse inspectos, sed a Verrio potius in usum vocatos.

Coniectura assecuti eidem Verrio Flacco assignarunt cap. 15 l. III Mercklin (ind. schol. Dorp. a. 1861 p. 5) et Mueller (ed. Fest. praef. p. XIII). Mercklini verba ipsa apponam: „Apud Plin. n. h. VII 180 haec leguntur: „in primis autem miraculo sunt at qua frequentia mortes repentinae (hoc est summa vitae felicitas), quas esse naturales docebimus. plurumas prodidit Verrius, nos cum delectu modum servabimus". Quae ex Verrii libris rer. mem. dign. petita esse Muellerus praef. Fest. p. XIII probabiliter statuit. Quibus libris cum Gellius IV 5 nominatim usus sit, non solum nihil obstat, quin eosdem iterum advocaverit, sed hoc veri videtur esse simillimum. Casu enim factum arbitror, quod exemplorum Gellianorum unum tantum apud Verrium Plinii redit, qui ex plurimis delectu facto modum servaturum promiserit. Verrium autem auctorem Gellio fuisse accedunt alia indicia. Videtur ille in libris rer. mem. dign. condendis eandem fere rationem secutus esse atque in prolixo de significatu verborum opere. Plurima enim exempla posuerat, singulis auctorum nomina addidit, quorum et Aristoteles et annales nostri apud Gellium comparent; Verrium autem annales maximos adhibuisse in his libris ipse Gellius nos docuit IV 5, 6". Equidem nihil habeo quod viro doctissimo obloquar.

Mercklini altero quoque loco eosdem Verrii Flacci libros rer. mem. dig. a Gellio in partes esse vocatos disputantis auctoritatem sequor. X 2 de numero puerperii primum Aristotelis auctoritas, deinde eorum, qui divo Augusto imperante temporum eius historiam scripserunt, affertur. Ac recte Mercklin (ind. schol. Dorp. a. 1861 p. 6) docet, nos habere excerpta ex scriptore, qui Graecos Romanosque libros adierit, et commode potuisse Verrium Flaccum memorare Aristotelem et historicos Romanos; accedere testimonium Plinii n. h. VII 32, qui, ut alia eiusdem libri VII, ex Verrio quamvis semel tantum memorato hauserit; Gellium vero non ex Plinio petiisse sua in aperto esse,

cuius septimi libri § 40 et 42 de simili argumento disserens attulerit III 16, sed communem utriusque fontem subesse conicere nihil vetare.

20. C. Julius Hyginus.

C. Julii Hygini solius libris exemplorum usum esse Gellium, historiam de Artemisia deque certamine apud Mausoli sepulcrum decertato X 18 referentem, censeo. Eidem Hygino debuerit noster mentionem Tullii Ciceronis et quorundam Graecarum historiarum scriptorum (§ 2).

Julius Hyginus in libro de vita rebusque illustrium virorum sexto occurrit I 14. Ad eundem Hyginum nescio an recte cum Mercklino (ind. schol. Dorp. 1861 p. 14) revocemus IV 8 propter argumenti continuitatem; de eodem enim Fabricio, cuius dictum relatum erat I 14, hoc quoque loco agitur. Rursus § 8 pleraque historia a Gellio commemorata Hygino veteres annales consultos fuisse ostendit. Ciceronis sententia ab Hygino diversa utrum ex Cicerone ipso fluxerit, cum diserte eius liber secundus de oratore notetur, an ex Hygino desumpta sit, ad quem Ciceronis mentionem rettulimus X 18, dubitandum esse videtur.

Quae apud Gellium VI 1 leguntur admiranda quaedam ex annalibus sumpta de P. Africano superiore, procul dubio Hygino soli assignanda sunt, quamquam noster § 2 C. Oppium et Julium Hyginum aliosque, qui de vita et rebus Africani scripserunt, laudavit. Quem librum de vita et rebus Africani non nisi partem operis de viris illustribus fuisse declaravit iam G. J. Vossius (cf. ed. Gron. ad h. l.) et Bunte (de C. Julii Hygini ... vita et scriptis p. 38 et 39) probabiliter statuit, cum ex fragmentis appareat, Hyginum in hoc opere non solum protulisse historiam quam dicunt pragmatico-criticam, sed etiam narrationes fabulosas et miraculosas, quae aut in hominum ore circumferrentur aut in scriptis traditae fuissent (cf. praeterea Mercklin, ind. schol. Dorp. a. 1861 p. 14). — Cum mira quaedam similitudo intercedat inter lemma huius, quod modo tractavimus, capitis et lemma capitis 18 l. IV (de P. Africano superiore sumpta quaedam ex annalibus memoratu dignissima) Mercklin

deposita priore sententia, qua duas Scipionis orationes secutum esse Gellium suspicatus est (cf. die Citiermethode etc. p. 668), eidem Hygino etiam hoc caput tribuit (ind. schol. Dorp. a. 1861 p. 14). Idem censuit Bunte l. l. p. 39. Equidem iam supra (p. 14) demonstravi, verisimile esse Gellium orationem Scipionis ex qua fluxerint § 3—6, ipsum legisse propter verba § 6 posita: „fertur etiam oratio e. q. s." Reliquum caput ad Hygini auctoritatem revocantibus viris doctissimis totus assentior.

Ad eundem Hyginum fortasse referenda sunt quae ex libris, qui de vita P. Scipionis Africani compositi sunt, Gellius III 4 narravit (P. Scipioni diem esse dictum a Claudio Asello trib. pl. cumque cum esset reus neque barbam desisse radi neque non candida veste uti neque fuisse cultu solito reorum). Occultum eorundem librorum Hygini de viris illustribus usum subesse videri, cum similitudinem quandam conspiciamus verborum, quibus usus sit Gellius in significando opere, quod adierit et VI 1 et nostro loco, contendentes omnia mihi probaverunt Mercklin et Bunte (l. l. p. 37 annot.)

Utrum Hygino sint tribuenda quae de P. Scipione memoratu digna notantur VII 8, id quod ex lemmatis similitudine cum aliis intercedente facile potest conici (Mercklinus quoque l. l. de occulto Hygini de vir. ill. librorum usu cogitat) an ex alio sint hausta pro certo ponere non audeo. Gellius satis habet id dicere quod ex historia est (§ 5).

21. Valerius Maximus.

Valerii Maximi factorum dictorumque memorabilium libris duobus tantum capitibus continuis usus est Gellius XII 7 et 8, quorum prius desumptum est ex libro VIII 1. 3. 2, posterius ex l. IV, 2, 1 et 3. Recte meo arbitratu iudicat Kempfius (ed. Val. Max. praef. p. 45): „Cum probabile non sit Gellium aliam librorum distinctionem in suo Valerii exemplari invenisse, aut ipsum scriptorem memoriae lapsu errasse aut librarium antiqui cuiusdam codicis in noctibus Atticis una addita lineola libr. IX pro VIII substituisse liquet. Credo alterum, quia Gellius, cum haec

describeret, manifesto ante oculos habuit et inspexit Valerii librum". —

Aliis praeterea locis Valerium Maximum et Gellium conspirantes videmus, nec tamen ita ut fontem eum fuisse Gellio suspicari liceat; conferas quaeso ex. gr.

Gell.	II 11	Val.	III 2, 24.
„	II 15, 1—3	„	II 1, 9.
„	VII 8	„	IV 3, 1.
„	X 18	„	IV 6 ext. 1.
„	XV 4	„	VI 9, 9.
„	XV 16	„	IX 12 ext. 9 (cf. p. 35).
„	XV 20, 1	„	III 4.
„	XV 20, 9	„	IX 12 ext. 4.
„	XV 22	„	I 2.

22. C. Plinius Secundus.

Eius naturalis historiae plus semel mentio fit. Tria capita continua summo iure ei reddidit Mercklin (die Citiermeth. etc. p. 670 sq.), XVII 15 et 16 et 17, quamquam uno tantum loco Plinius ipse citatur, XVII 15, 5: „Sed elleborum sumi posse .... Plinius Secundus in libris naturalis historiae scripsit", cap. 16 vero et 17 ne uno quidem nomine commemoretur. Est autem cap. 15 ex Pl. n. h. XXV, 47. 51. 57. 52. 61, cap. 16 ex Pl. XXV, 5, cap. 17 ex l. XXV, 6. — Alter locus est IX 4, quem totum ex Plinii nat. hist. libro septimo transscriptum esse a Gellio, qui Graecos scriptores § 3 laudatos se cursim transisse ementitus sit et Pliniana verba paucis mutatis reddiderit, luculenter demonstravit Kretzschmer p. 13 sqq. cf. supra p. 4. — Tertius locus, qui in censum hic venit, legitur X 12: „Librum esse Democriti, nobilissimi philosophorum, de vi et natura chamaeleontis eumque se legisse Plinius Secundus in naturalis historiae vicesimo octavo refert". Titulum libri Democriti Gellium ipsum finxisse ex Plinii verbis animadvertit Mercklin l. l. p. 639; sequitur § 6 altera notitia ex eiusdem Plinii n. h. libro decimo. — III 16, 22—24 capiti iam absoluto ex Plinii libro septimo adiecit noster, quod indicant verba „sed quoniam de Ho-

merico annuo partu . . . diximus, quae cognoveramus, visum est non praetereundum" (cf. addendi formulas a Mercklino p. 702 sqq. collectas).

23. P. Aelius Hadrianus imperator.

Divi Hadriani oratio, quam de Italicensibus in senatu habuit, laudatur XVI 13. Agitur, quid sit municipium et quid a colonia differat. Equidem non dubito, quin totum caput haustum sit ex Hadriani ipsius oratione. Disseruit enim hic „de eius opinationis tam promiscae erroribus peritissime mirarique se ostendit, quod et ipsi Italicenses et quaedam item alia municipia . . . in ius coloniarum mutari gestiverint." Sequuntur § 6 sqq. nonnulla de municipibus, § 8 sq. de coloniis; quae ex oratione desumpta esse prodit lemma ipsum: „quid sint municipes quaeque sit eius vocabuli ratio atque proprietas; atque inibi quod divus Hadrianus in senatu de iure atque vocabulo municipum verba facit." Et quamquam de coloniarum necessitudine in lemmate ipso nihil inest, tamen a vero non aberrabimus contendentes etiam § 8 et 9, quarum color atque genus dicendi idem sit, deberi Hadriano. Huic loco conferendus est III 16; § 12 legimus divum Hadrianum decrevisse in undecimo quoque mense partum edi posse; idque ipsum eius rei decretum Gellius se legisse profitetur. Non abhorrere videtur a veritate Mercklini opinio p. 656, qui Hadriani doctrinam suam atque scientiam omnium literarum ostentantis decretum fortasse plura praebuisse Aulo suspicatur, quam ipse indicaverit.

24. C. Suetonius Tranquillus.

Hic solus auctor est habendus IX 7, cuius et nomen et librum Gellius prodidit § 3: „et alii viri docti et Suetonius etiam Tranquillus in libro ludicrae historiae primo . . . adfirmat". L. XV cap. 11, quo senatusconsulti verba de exigendis Roma philosophis, item verba edicta censorum, quo improbati et coerciti sunt, qui disciplinam rhetoricam instituere et exercere Romae coeperant, afferuntur, ex Suetonio Tranquillo originem duxisse Gronovius coniecit:

„Exstat hoc senatusconsultum et edictum censorum etiam apud Suetonium in principio libri de claris rhetoribus, unde utramque ab auctore nostro desumptum videtur“. (Cf. Reifferscheid, ed. Suet. p. 119.) Etiam quae § 3—5 leguntur de Epicteto, e Suetonio petita esse possunt, qui in libri de philosophis praefatione de philosophis Graecis a Domitiano Roma actis egerat.

Eiusdem libro cap. 4 agitur de Ventidio Basso, ignobili homine, quem primum de Parthis triumphasse memoriae traditum est. § 4 laudatur Suetonius Tranquillus, quem ex Gelliana consuetudine saepius observata extremo demum capite fontem indicandi, non modo hanc solam paragraphum, sed etiam quae antecedunt, Gellio praebuisse iudicabimus. Hoc caput ad historiam referendum est, quam Suetonium scripsisse et in qua res Romanas Pompei et Antoni aetate enarratas fuisse demonstravit Reifferscheid (cf. ed. Suet. p. 469). — Suetonianam originem Reifferscheidio, cuius sententiam sagacissime explicatam totus sequor, prodere videtur XV 28. Ita enim vir doctissimus l. l. p. 424: „Hoc Gellianum caput propterea memorabile est, quod eo pars Suetonianae vitae Ciceronis quodam modo reconcinnatur. Refert enim Nepotis et Fenestellae errores de anno aetatis, quo Cicero primam iudicii publici causam egerit. Iam Suetonius, ut conligitur ex excerptis Hieronymianis (frg. 51 et 52) cum Pediani Asconi iudicio conspirat, qui illorum errores teste Gellio castigaverat, ut suspicio suboriatur, Gellium hanc notitiam ex vita Suetoniana in electa sua transscripsisse. Quae eo confirmatur, quod idem Gellius in deperdito octavo libro plenissimas narrationes de Laberio et Publilio mimographis dederat, quas Macrobius perpetuus Gellianarum copiarum expilator nobis servavit. Cui vero auctori haec restituenda sint, non admodum dubium esse puto, cum de eorum vita Suetonium scripsisse excerpta Hieronymiana (frg. 25. 26) fidem faciant“.

Ad Suetonium fortasse revocanda esse XIII 2, VII 17, XV 18 iam supra (p. 26. 31. 32 sqq.), cum de Varrone disputavi, monui.

II. Philosophi.

Iamiam transeamus ad alteram quaestionum nostrarum partem, in qua philosophiae scriptores, quibus quidem Gellius usus sit, tractandos nobis proposuimus. In philosophia Graecos fere solos auctores secutum esse Gellium iam supra monui. Praetermittere mihi hic posse videor Platonem, Aristotelem, Theophrastum, Chrysippum, quorum libros cum accuratissime Gellius laudaverit saepius et excerpsisse se ipse professus sit, non aliunde ei acceptos fuisse persuasum habebimus.

Ac primus quidem hic in censum veniat

1. Hermippus.

Is uno tantum loco a Gellio laudatur libro non addito, III 13, 1. Narratur, „Demosthenem, cum Platonis philosophi discipulus esset, audito forte Callistrato rhetore in contione populi, destitisse a Platone et Callistratum sectatum esse“. Gellium hoc loco non Hermippo ipso usum esse, sed eius mentionem a Favorino accepisse colligit Mercklinus l. l. p. 678 inde, quod Favorinum ex Hermippo hausisse testetur Diogenes Laert. V 2, 12: *Φαβωρῖνός φησι γηράσαντα αὐτὸν (Θεόφραστον) ἐν φορείῳ περιφέρεσθαι, καὶ τοῦτο λέγειν Ἕρμιππον κ. τ. λ.* Fac non Hermippum, sed Favorinum caput nostrum praebuisse Gellio, qui fit, ut altero loco, II 18, ubi neque Hermippi neque Favorini mentionem facit Aulus, de Hermippo tamquam de fonte cogitet Mercklin p. 678? Agitur autem II 18 de philosophis compluribus, qui servi antea fuerant. Quod caput Mercklin desumi vult ex Hermippi *περὶ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων*, quamvis

Diogenes Laert. uno tantum loco, quo de Menippo loquitur VI 8, 1, illum commemoret. Sed quid est, quod, cum illo loco (III 13) Favorinum Gellii in manibus fuisse putemus, ubi Hermippi nomen additum est, hoc eundem Favorinum a Gellio in partes esse vocatum negemus? Aut utroque loco aut neutro Hermippi usus mihi abnuendus esse videtur; quorum illud malim. Movet enim suspicionem, quod Hermippus hoc uno loco (III 13) laudatus est a Gellio, et ita quidem, ut nomen eius nude positum libri significatione nulla facta inveniamus. Adde, quod Diogenis Laert. testimonio, quod supra posui, docemur Favorinum Hermippi libris usum esse — hunc, Favorinum dico, quominus utriusque capitis auctorem fuisse statuamus, nihil obstare videtur.

2. Panaetius.

„Legebatur Panaetii philosophi liber de officiis secundus ex tribus illis inclitis libris, quos M. Tullius magno cum studio maximoque opere aemulatus est", XIII 28, 1. Sententia Panaetii. „qua hortatur, ut homines ad cavendas iniurias in omni loco intenti paratique sint", nobis traditur non ita, ut verba ipsa afferantur, sed ut argumentum tantum exhibeatur (§ 3 id autem est ad hanc fere sententiam).

Ad eundem revocaverim, quae leguntur I 13, cuius lemma est: „Quaesitum esse in philosophia, quidnam foret in recepto mandato rectius, idne omnino facere, quod mandatum est, an nonnunquam etiam contra, si id speres ei, qui mandavit, utilius fore: superque ea quaestione expositae diversae sententiae". Gellius et auctoris nomen et libri inscriptionem, unde excerpsisse eum coniectura assequaris, omnino reticuit. Sed cum ex XIII 28 Panaetium tres libros de officiis composuisse appareat, quos inscriptos fuisse *περὶ τοῦ καθήκοντος* constat, et cum initio nostri capitis *καθήκοντα* commemorentur („in officiis capiendis, censendis iudicandisque, quae *καθήκοντα* philosophi appellant, quaeri solet" e. q. s.), non vereor ne falso iudicaverim ex Panaetio Gellium hausisse contendens. — Idem dicendum videtur de tertio loco, II 7, cuius capitis argumentum similitudinem

quandam habeat cum eo, de quo modo disserui. Hoc enim est lemma: „De officio erga patres liberorum; deque ea re ex philosophiae libris, in quibus scriptum quaesitumque est, an omnibus patris iussis obsequendum sit". Dicit deinde Gellius § 2: „Super ea re Graeci nostrique qui de officiis scripserunt, tres sententias esse . . . tradiderunt e. q. s." Iam cum Graeca verba contextui nostro inserta Graecum auctorem prodere videantur, is quin iterum Panaetius fuerit, non dubito.

3. Andronicus.

Ex Andronici philosophi libro sumpta exempla epistularum Alexandri regis et Aristotelis philosophi subdidit Gellius XX 5, ita quidem ut Aulus suis ipsius verbis expressum praemiserit argumentum epistularum § 7—9, verba ipsa adiecerit § 11—12. Utrum Andronici librum ipsum adierit, an per alterum exempla epistularum acceperit (id quod propius ad veritatem accedit, cum hoc uno loco Andronici nec ita accurate meminerit Gellius), pro certo affirmare non audeo. Val. Rose de Favorino auctore cogitare videtur (de Aristotelis libror. ordine et auctoritate p. 50): „Indices librorum Aristotelis primus fecit Andronicus in libris, quos scripsit de philosophia Aristotelis. Idem egit postea Ptolemaeus incerti temporis philosophus, Andronici indice passim mutato, eodem tamen librorum fundo usus. Ex Andronico repetiit in commentariis Favorinus, ex quo Diogenes, ex quo Hesychius".

4. Epictetus.

Epicteti dissertationes ab Arriano digestas se legisse testatur Gellius XIX 1, 21: „Haec Epictetum philosophum ex decretis Stoicorum sensisse atque dixisse, in eo, quo dixi, libro legimus adnotandaque esse idcirco existimavimus e. q. s." cf. § 14: „Atque ibi coram ex sarcinula sua librum protulit Epicteti philosophi quintum *διαλέξεων*, quas ab Arriano digestas congruere scriptis *Ζήνωνος* et Chrysippi non dubium est". § 15: „In eo libro Graeca scilicet oratione scriptam hanc sententiam legimus" (§ 15—20). Quae antecedunt § 1—14, a Gellio ipso ficta videntur.

Librum primum (imo secundum) dissertationum Epicteti digestarum ab Arriano adiit Gellius I 2, 6 ex eoque verba adscripsit § 8—12. — Eosdem libros adhibitos videmus XVII 19, 2—4: „Iam illud est vehementius, quod Arrianus solitum eum (Epictetum) dictitare in libris, quos de dissertationibus eius composuit, scriptum reliquit e. q. s.“

5. Plutarchus.

Duobus continuis capitibus occurrit Plutarchi librorum, quos de Homero composuit, secundus, II 8 et 9. Reprehendit Plutarchus Epicurum c. 8, quod imperfecte atque praepostere atque inscite syllogismo sit usus, § 2—4; Plutarchus ipse refellitur a Gellio § 5—9. Idem Epicurus vituperatur a Plutarcho c. 9 § 1—3, „quod verbo usus sit parum proprio et alienae significationis“; iterum eum redarguit Gellius § 4—5. — Ad eorundem librorum de Homero primum totum revocaverim cap. 11 libr. IV. Refertur „opinio vetus falsa, Pythagoram philosophum non esitavisse ex animalibus, item abstinuisse fabulo;“ sequuntur § 2 versus Callimachi poetae, § 3 verba Ciceronis ex libro de divinatione primo petita; § 4—7 exhibentur sententia atque verba Aristoxeni in libro, quem de Pythagora reliquit, scribentis nullo saepius legumento usum quam fabis et porculis quoque minusculis et haedis tenerioribus victitasse; iam commemorantur Alexis poeta atque Empedocles. Paragrapho demum undecima laudatur Plutarchi, hominis in disciplinis gravi auctoritate, primus librorum, quos de Homero composuit; verba ipsa adduntur § 12; alteram notitiam (§ 13) haurit Gellius ex Plutarchi symposiacis; postremo (§ 14) mentio fit Clearchi atque Dicaearchi. Excepto illo Ciceronis loco (§ 3), quem de suo adiecisse Gellium putarim, duos solos scriptores accurate atque diserte significatos videmus, Aristoxenum atque Plutarchum. Quorum prior, qui vir literarum veterum diligentissimus appellatur, hoc uno loco apud Gellium nobis obvius est: huius igitur libri, quem de Pythagora reliquit, usum nullum fuisse Gellio contenderim. Itaque ad alterum, quem posteriore loco nominavi, ad Plutarchum nobis confugiendum erit, quem Aristoxeni verba

in libro primo de Homero collocasse existimem; adde quod duobus aliis locis eosdem Plutarchi libros de Homero adiit noster: iam confirmatam videbis meam coniecturam. — III 5 in. haec legimus: „Plutarchus refert, Arcesilaum philosophum vehementi verbo usum esse de quodam nimis delicato divite, qui incorruptus tamen et a stupro integer dicebatur“. Exstat haec narratiuncula apud Plut. quaest. conv. VII 5, 3 et de san. tuenda c. 17. Ex Plutarchi libro symposiacorum octavo (VIII 4, 5) caput insequens desumptum est: utroque igitur loco quaestionum convivalium libri soli, quorum usus frequentior fuit Gellio, in partes vocati sunt (cf. Kretzschmer l. l. § 2 p. 4). Ex eiusdem Plutarchi libro symposiacorum septimo totum fluxit cap. 11 libr. XVII (cf. Plut. quaest. symp. VII 1 c. Gell. XVII 11).

Restat, ut in hac parte disputationis nostrae absolvamus eos philosophos, qui Gellii aequales partim sermonibus partim scriptis, alii pauca, alii plura ei suppeditarunt. In illorum numero, quibus nonnulla tantum debuit, primus collocandus videtur

6. Peregrinus Proteus.

Ex huius ore accepit Gellius XII 11, cf. § 1: „Philosophum nomine Peregrinum, cui postea cognomentum Proteus factum est, virum gravem atque constantem, vidimus, cum Athenis essemus, deversantem in quodam tugurio extra urbem. Cumque ad eum frequenter ventitaremus, multa hercle dicere eum utiliter et honeste audivimus. In quibus id fuit, quod praecipuum auditum meminimus;“ § 6: „propterea versus istos Sophocli . . in ore habendos dicebat“. VIII 3 e lemmate novimus, Gellio audiente Peregrinum philosophum increpuisse adulescentem Romanum ex equestri familia, stantem segnem apud se et assidue oscitantem.

7. Herodes Atticus.

De eo videas Gellium I 2, 1: „Herodes Atticus, vir et Graeca facundia et consulari honore praeditus“. Graeca oratione uti solebat (I 2, 6), in qua fere omnes memoriae suae universos gravitate atque copia et elegantia vocum longe praestitisse eum praedicat Aulus XIX, 12, 1.

IX 2 falso quempiam cultu amictuque nomen habitumque philosophi ementientem notat Herodes Atticus. § 8 laudatur dictum Musonii, „cum aeruscanti cuipiam et philosophum sese ostentanti dari iussisset mille nummum et cum plerique dicerent, nebulonem esse hominem malum et malitiosum et nulla re bona dignum“. Haud scio an recte coniunxerim cum hoc loco alterum, cuius initium lacunam exhibet, V 1; etiam hic Musonii dictum traditur: „. . . . Musonium philosophum solitum accepimus“. A quonam tamen acceperit Gellius, utrum ab Herode Attico audiverit an ex Epicteti, qui Musonii discipulus erat, dissertationum ab Arriano digestarum libris deprompserit, pro certo affirmare nequeo. XIX 12 disserit de vi et natura doloris suamque opinionem affirmat exemplo indocti rustici, qui cum rubis fructiferas arbores praecidit.

8. Calvisius Taurus.

Cf. de eo Hieronym. ad a. Abr. 2161 = 147 p. Chr.: „Taurus Berytius Platonicae sectae philosophus clarus habetur“. Gell. VII 10. 1: „Philosophus Taurus vir memoria nostra in disciplina Platonica celebratus“. I 26, 2: „Dabat (Taurus) saepe post cotidianas lectiones quaerendi, quod quis vellet, potestatem“. Ac primum quidem recensebo locos ad philosophiam pertinentes, quos Gellium praesentem ab illo accepisse in aperto est.

I 9 agitur de modo atque ordine disciplinae Pythagoricae, § 2—7; § 8 legimus: „Haec eadem (sc. quae antecedunt) super Pythagora noster Taurus cum dixisset: „nunc autem“, inquit, e. q. s.“ II 2 exponit Taurus, „quae ratio observatioque officiorum esse debeat inter patres filiosque in discumbendo sedendoque . . domi forisque, si filii magistratus sint et patres privati“. — VII 10 Calvisius inducitur adolescentes ad philosophiam naviter sectandam exemplo Euclidis Socratici hortans. VIII 6 lemma hoc est: „Cum post offensiunculas in gratiam redeatur, expostulationes fieri mutuas minime utile esse, superque ea re et sermo Tauri expositus et verba ex Theophrasti libro sumpta; et quid M. quoque Cicero de amore amicitiae senserit, cum

ipsius verbis additum". — X 19 Taurus omni suasionum admonitionumque genere utens sectatores suos ad rationis bonae inculpataeque indolis ducit. — XVII 8 quaeritur agitaturque a Tauro philosopho, cur oleum saepe et facile, vina rarius congelascant, acetum haud fere unquam; et quod aquae fluviorum fontiumque durentur, mare gelu non duretur. — XIX, 6 explicat Taurus locum ex Aristotelis problematis sumptum.

Pergamus nunc ad locos, quos ex libris a Tauro conscriptis desumptos esse aut a Gellio ipso plus minusve aperte significatur aut coniectura colligi potest. Uno tantum loco liber Tauri accuratissime laudatur VII 14, 5: „Has tris ulciscendi rationes et philosophi alii plurifariam et noster Taurus in primo commentariorum, quos in Gorgiam Platonis composuit, scriptas reliquit". Ex hoc Tauri libro quin ea fluxerint, quae antecedunt (§ 1—4), et ea, quae sequuntur mentionem Tauri § 6—9, nemo erit certe qui dubitet. Haud scio an eandem originem traxerint verba X 22, 20 posita, quae addita sunt ad locum ex Platonis Gorgia desumptum explicandum. VII 13 quaeritur quando moriens moriatur? cum iam in morte sit an cum etiamtum in vita? Pluribus de hac re disserit Taurus § 8—11, quem § 10 et 11 Platonis sententiam in libro, cui Parmenides titulus est, prolatam afferentem facit Gellius. Taurum commentarios composuisse in Gorgiam Platonis testatur Gellius capitis insequentis § 5; quid? adeone incredibile videtur, ab eodem Tauro commentarios scriptos esse in unum alterumve librum Platonis? — XII 5 Gellius Taurum explicatius disputantem inducit de modo atque ratione tolerandi doloris secundum Stoicorum decreta. Fidem vero denegandam esse Gellio affirmanti sermonem ea de re a Tauro habitum esse compluribus evinci potest argumentis. Ac primum quidem totus sermo longior est quam quem Gellium memoria retinuisse putare possimus; deinde vero Gellius ipse efficit, ut ex libro quodam Tauri totum caput haustum esse persuasum habeamus verbis § 5 positis: „Ad ea Taurus . . . „si iam amicus", inquit, „hic noster valeret, gemitus . . . defendisset et hanc . . . quaestionem dissolvisset;

me autem scis cum Stoicis non bene convenire, vel cum Stoica potius. Est enim pleraque et sibi et nobis incongruens, sicut libro, quem supra illa re composuimus, declaratur". Circumspicientibus iam nobis, ad quemnam librum referamus Gellianum caput, succurrit Suidas, qui s. v. **Ταῦρος** Calvisium *περὶ τῆς ἀπαθείας τῶν Στοϊκῶν* scripsisse nos docet: quae notitia quam bene conveniat cum lemmate nostri capitis „sermo Tauri de vi atque ratione tolerandi doloris secundum Stoicorum decreta" iam vides. — Altero quoque loco Gellius librum Tauri in usum se vocasse ipse innuere videtur. Calvisium pluribus disseruisse ait interrogatum ab ipso an sapiens irasceretur, I 26. Explicat philosophus ille, quid Plutarchus de morbo affectuve irae senserit, § 4—9; additur § 10 summa totius sententiae Tauri. Equidem tantum abest, ut Gellium haec ex Tauro coram accepisse putem (quamvis Gellius affirmet se interrogavisse in diatriba Taurum, qui saepe post cotidianas lectiones quaerendi, quod quis vellet, potestatem dedisset), ut in libris Tauri sua invenisse eum credam. Maxime ut ita sentiam me movent verba § 3: „Is (sc. Taurus) cum graviter et copiose de morbo affectuve irae disseruisset, quae et in veterum libris et in ipsius commentariis exposita sunt, convertit ad me" e. q. s. Ad eosdem commentarios revoco historiolam § 4—8 narratam de Plutarcho, quem Tauri praeceptorem fuisse constat.

Exponit Gellius V 15 varias philosophorum sententias, corpusne sit vox an *ἀσώματον*. Referuntur opiniones ea de re a Stoicis, Platone Democrito, Epicuro prolatae, quibus in fine capitis adnectitur Ennianum dictum ex Neoptolemo desumptum. Cum hoc capite coniungendum videtur caput insequens „de vi oculorum deque videndi ratione". Hic quoque recenset Gellius sententias Stoicorum, Epicuri, Platonis. Quo consensu necessitate quadam deducimur ad unum eundemque auctorem utriusque capitis, quis qui fuerit apparet ex lemmate capitis prioris „corpusne sit vox an *ἀσώματον*". Compertum enim habemus, Calvisium Taurum scripsisse librum *περὶ σωμάτων καὶ ἀσωμάτων*, ad hunc igitur referendus est uterque locus. Enniana illa in fine capitis

15 et 16 de suo Gellium adiecisse puto nec minus Lucretii versum cap. 15 § 4 positum. (Cf. Mercklin, ind. schol. Dorp. 1861 p. 11.) — Eiusdem libri περὶ σωμάτων καὶ ἀσωμάτων, ni omnia me fallunt, vestigia me deprehendisse puto IX 5. Iterum recensentur philosophorum nobilium variae sententiae (de genere ac natura voluptatis), Epicuri, Antisthenis, Speusippi, Zenonis, Critolai, Platonis. Exeunte demum capite nobiscum communicat Gellius verba Hieroclis Stoici, quae „Taurus, quotiens facta mentio Epicuri erat, in ore atque in lingua habebat". Hunc Taurum totius capitis auctorem fuisse censeo; mirum enim in modum huius loci et lemma et argumentum et structura concinunt cum locis, quos supra tractavi, V 15 et 16.

Conferas quaeso l. V c. 15 lemma: varias esse philosophorum sententias.

et § 1: vetus atque perpetua quaestio inter nobilissimos philosophorum agitata est.

V 16, 1: diversas esse opiniones philosophorum animadvertimus.

IX 5 lem.: diversae nobilium philosophorum sententiae

§ 1: . . veteres philosophi diversas sententias dixerunt.

Omnibus tribus locis trium philosophorum mentio redit:

Platonis	V 15, 7.	V 16, 4.	IX 5, 7.
Epicuri	V 15, 8.	V 16, 3.	IX 5, 2.
Zenonis s. Stoicorum	V 15, 6.	V 16, 2.	IX 5, 5.

Quae cum tanta sit similitudo, eundem Taurum etiam hoc caput praebuisse Gellio non est cur negemus.

9. Favorinus.

Finem faciat philosophorum is, quem quanti aestimaverit Gellius, unaquaeque fere pagina noctium Atticarum testatur, Favorinus. Hunc adhibebat noster non modo in quaestionibus philosophis verum etiam in grammaticis et in iuridicis. Satis habebo locos nonnullos transscribere, quibus quam vario atque multiplici ingenio Favorinus fuerit, luculentissime demonstratur: XX 1, 20: „Tum Sex. Caecilius amplexus utraque manu Favorinum „tu es", inquit, „unus profecto in nostra memoria non Graecae modo, sed Ro-

manae quoque rei peritissimus. Quis enim philosophorum disciplinae suae leges tam scite atque docte callet, quam leges tu nostras decemvirales percalluisti?" XIII 25, 4: „Etiamsi", inquit Favorinus, „opera mihi princeps et prope omnis in literis disciplinisque Graecis sumpta est, non usque eo tamen infrequens sum vocum Latinarum, quas subsicivo aut tumultuario studio colo, ut hanc ignorem manubiarum interpretationem vulgariam" e. q. s. Vd. praeterea IX 8, 14. X 2, 9. XI 15, 5. Graece disserere solebat Favorinus cf. XIV 1, 1: „Audivimus quondam Favorinum philosophum Romae Graece disserentem egregia atque inlustri oratione;" et § 32: „Sed Favorinus, ut hominis ingenium fuit utque est Graecae facundiae copia simul et venustas, latius ea et amoenius et splendidius et profluentius exsequebatur" e. q. s. — Egregia vel divina quadam memoria philosophum nostrum fuisse docet XIII 25, 5. Plurimum eum sectabatur Gellius cf. XIV 2, 11: „Pergo ire ad Favorinum philosophum, quem in eo tempore Romae plurimum sectabar" atque imprimis XVI 3, 1: „Cum Favorino Romae dies plerumque totos eramus tenebatque animos nostros homo ille fandi dulcissimus atque eum, quoquo iret, quasi ex lingua prorsum eius capti prosequebamur: ita sermonibus usquequaque amoenissimis demulcebat". — Favorinum in fronte totius libri saepius positum vides, cf. II 1, III 1, IV 1, XII 1, XIV 1 et 2, XVIII 1, XX 1. — Quae Favorini sententiae apud Gellium occurrunt, partim ex ipsius ore percepit noster, partim ex eius libris aut desumpsit aut desumpsisse videtur. Mitto locos, qui ad grammaticam artem pertinent, a Kretzschmero p. 104 sqq. iam tractatos.

Coram accepsisse videtur Gellius a Favorino: I 10 (quibus verbis compellaverit Favorinus philosophus adulescentem casse nimis et prisce loquentem), III 1 (quaesitum atque tractatum, quam ob causam Sallustius avaritiam dixerit non animum modo virilem, sed corpus quoque ipsum effeminare); V 11, 8—13 tractat Biantis de re uxoria syllogismum; XII 1 suasit nobili feminae, uti liberos, quos peperisset, non nutricum aliarum, sed sibi suo lacte aleret: XIV 2 con-

sultus a Gellio pluribus disseruit de officio iudicis; XVII 19, 1 et 5—6 sententias ab Epicteto philosopho saepissime prolatas pronuntiat Favorinus; XVIII 1 Favorino arbitro quaeritur inter Stoicum philosophum et Peripateticum, quantum in perficienda vita beata virtus valeat quantumque sit in his, quae dicuntur extranea; suam sententiam profert Favorinus § 12—14; XIX 3 turpius esse dicebat Favorinus, frigide laudari quam acerbe vituperari; XX 1 cum Sex. Caecilio iureconsulto de legibus duodecim tabularum disputat; II 12 Solonis legem quandam considerat perpenditque Favorinus.

Pergo ad libros, quos Gellius adhibuit aut adhibuisse cum cum aliqua probabilitate suspicari possumus. Uno tantum loco significatio quam accuratissima facta est librorum a Favorino conscriptorum, XI 5, 5: „Super qua re (sc. de Pyrronis philosophis quaedam deque Academicis strictim notata, deque inter eos differentia) Favorinus quoque subtilissime argutissimeque decem libros composuit; *Πυρρωνείων τρόπων* inscribit". Quos libros fontem fuisse totius capitis in aperto est. Nonnulla eorum, quae hic leguntur, redeunt apud Diog. Laert. IX 11. — Eiusdem Favorini libros quosdam minus accurate laudatos adiit XVII 12. Quod caput ut libro scripto assignem, me movent Gellii ipsius verba § 2: „Infames materias . . . . non sophistae solum, sed philosophi quoque, et noster Favorinus oppido quam libens in eas materias deiciebat, vel ingenio expergificando ratus idoneas vel exercendis argutiis . . . .: sicuti, cum Thersitae laudes quaesivit et cum febrim quartis diebus recurrentem laudavit, lepida sane multa . . . in utramque causam dixit eaque scripta in libris reliquit". Ex his libris desumpsit noster ea, quae sequuntur § 3—5. — Simulacrum columbae e ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaque mechanica factum volasse traditur X 12, 9. Quod et plerosque nobilium Graecorum et Favorinum philosophum memoriarum veterum exsequentissimum affirmatissime scripsisse ait Gellius. De Favorino solo, cuius verba apposuit noster exeunte capite, tamquam de fonte hoc loco cogitandum esse, licet plures auctores indicari videantur,

apparet ex citandi ratione a Gellio observata. Iam vero si quaerimus, cuinam libro haec tribuenda sint, Gellius ipse meo quidem iudicio innuere videtur memoriarum veterum exsequentissimum appellans Favorinum, *ἀπομνημονεύματα* illius hic in partes esse vocata. Eandem sententiam amplexum esse video Nietzscheum (cf. N. Rh. Mus. XXIII p. 642.) — Definitionem *τῆς καλουμένης χάριτος* Favorinianam, quam propositam legimus I 3, 27, literis mandatam fuisse eamque fragmentis inserendam esse sat probabiliter censuit Marres (de Favorini Arelatensis vita, studiis, scriptis. Traiect. p. 142); cf. Mercklin. l. l. p. 678. Non immerito suspicatur idem Mercklin l. l. p. 654 fortasse plura huius capitis Gellium debere Favorino, quam ipse prodiderit. — Libro cuidam scripto assignem, quae Gellius II 1 de fortudine Socratis atque patientia Favorinum disserentem facit. Marres l. l. p. 85 ad orationes philosophas pertinere hoc caput censet et ex verbis Gellianis titulum orationis illius fingit *περὶ τῆς Σωκράτους ῥώμης*. In eo quidem assentior Marresio, verba Graeca contextui inserta fontem scriptum prodere; neque tamen cum eo facere possum coniciente o r a t i o n e m hac inscriptione instructam a Favorino esse habitam, praesertim cum a Suida s. v. *Φαβωρῖνος* certiores fiamus philosophum illum singularem de Socrate librum composuisse. Ab eodem profecta erunt verba § 4 et 5 de Socratis temperantia. Eadem, quae Gellius memoriae tradit, Diog. Laert. v. Socr. c. 7: *ὅτε καὶ μεῖναι νυκτὸς ὅλης ἐφ' ἑνὸς σχήματος αὐτόν (Σωκρ.) φασιν* et cap. 9: *εὔτακτος δὲ ἦν τὴν δίαιταν οὕτως ὥςτε πολλάκις Ἀθήνησι λιμῶν γενομένων μόνος οὐκ ἐνόσησεν.* Cum vero cum multis locis Favorinum auctorem Diogenes sit secutus, tum in vita Socratis enarranda iterum ac saepius a Laertio illius et *ἀπομνημονεύματα* et *παντοδαπὴν ἱστορίαν* laudata atque in usum vocata deprehendamus, non multum, puto, a vero aberrabimus suspicantes et in libro illo singulari de Socrate et in illis, quos modo commemoravi, libris de Socratis patientia atque temperantia agere potuisse Favorinum. Haud scio an recte revocem ad eundem Favorinum I 17, 1—3, ubi nec auctoris nec libri nomen additum est. Docetur, quanta cum animi aequitate tolera-

verit Socrates uxoris ingenium intractabile. Quae suspicio nostra comprobari videtur argumenti huius et cap. primi libr. II similitudine. — Rursus scripto traditam fuisse conicio sententiam a Favorino inter ingentes omnium clamores detornatam inclusamque verbis his paucissimis: „τὸν γὰρ μυρίων κ.τ.λ.“, IX 8, 4. — Prolixiore oratione usus adversus eos, qui Chaldaei appellantur, et ex coetu motibusque siderum et stellarum fata hominum dicturos pollicentur, XIV 1 disserit Favorinus. Quae oratio cum nimis sit longa, vix puto Aulo fidem esse habendam affirmanti, se capita locorum argumentorumque, quibus ille usus esset, quod eius meminisse potuisset, egressum ibi ex auditione propere adnotavisse; auget suspicionem, quod Gellius capita locorum argumentorumque fuisse ad hanc ferme sententiam ait, quae verba orationem commentatam atque elaboratam et literis mandatam tecte significare videntur; cf. § 32: „Haec nos sicca et incondita et propemodum ieiuna oratione adtingimus. Sed Favorinus ... latius ea et amoenius et splendidius et profluentius exsequebatur“ e. q. s. — Eundem Favorinum capiti 15 libri XVI originem dedisse persuasum habeo, ubi Theophrastus in Paphlagonia perdices bina corda habere narrat, Theopompus in Bisaltia lepores bina iecora. Et Theophrasti et Theopompi notitiam Favorino reddendam esse iam supra (p. 5) censui neque dubito quin haec sub lit. B scripta fuerint in historia omnigena, quam in suum usum converterit Stephanus Byz. Testimonio enim Photii p. 103b nisus Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff (Quaestiones de biographis Graecis selectae, philolog. Untersuchungen herausgeg. v. A. Kiessling u. U. v. Wilamowitz-Moellendorff Berlin 1880) p. 146 probabiliter statuit Favorinum XXIV libros doctrinae confusaneae congessisse eisque literas, non numeros inscripsisse.

Venio ad locos, quos utrum ex Favorino fluxisse putem necne, dubius haereo. Identidem enim Gellium et Diogenem Laertium inter se consentire videmus, ita ut unum eundemque auctorem utriusque fontem fuisse facile appareat. Favorinum vero Diogenis praecipuum auctorem fuisse con-

tendunt Nietzsche, Val. Rose, E. Maass, negant Fr. Bahnsch, de Wilamowitz. Atque illi quidem maximam operis sui partem et quasi fundamentum Laertium petiisse ex Favorini libris variam et confusam materiam de philosophis praebentibus asseverant, hi levia tantum neque multa ex Favorino in Diogenem transiisse censent; unum id concedit de Wilamowitz, procul dubio fuisse vitas Platonis, Aristotelis, Pythagorae, e quibus iam alterius saeculi vergentis scriptores sua haurirent tantum non omnia, ita ut nobis in instauranda literarum historia primum communis ille auctor semper sit restituendus, huius igitur auctoritati vindicandos fore Gellianos locos Laertianis similes. Atque equidem saepius hanc rem considerans et perpendens iterum atque iterum deducor ad Favorinum ut communem utriusque fontem; huius libris, et commentariis et omnigena historia, usum esse Aulum ut existimem plura me invitant. Ac primum quidem hanc legem tenendam esse supra docui, Gellium neminem scriptorum adhibuisse nisi quem ipse laudaverit, eorum vero usum ei esse denegandum, quorum aut obscura aut nulla mentio fiat; quam ob rem animum inducere non possum putare Gellium ab hac consuetudine nusquam non observata hic destitisse, alium quendam ab ipso nullo loco commemoratum in usum suum convertisse. Deinde certissimum mihi esse videtur, multa fuisse et in apomnemoneumatis et in omnigena historia, quae amplam variamque materiem et occasionem excerpendi Aulo praeberent. Tum non sine aliqua probabilitatis specie aut argumenti ducti similitudine aut aliorum testimoniis capita quaedam sine auctoris nomine noctibus Atticis inserta Favorino assignanda esse suspicati sumus. Accedit denique, quod quaevis fere pagina Gelliani operis probat, Favorinum, a quo saepius quasi exordium factum est singulorum librorum (cf. p. 54), summa auctoritate apud Gellium floruisse. Qua de causa minus puto erit mirandum, quod Favorini eiusque librorum nomina ab Aulo saepius dissimulantur, praesertim cum in dubium vocari mea quidem sententia non possit, quin eius *ἀπομνημονεύματα* et *παντοδαπὴ ἱστορία* in propatulo frequentique usu tum versata sint et cum percrebruerit

Gellii aetate apud scriptores et Graecos et Latinos doctrinam ementiendi consuetudo. Sed iam convertam me ad singulos locos. III 17 Plato tres Philolai Pythagorici libros decem milibus denarium emisse narratur, Aristoteles Speusippi libros pauculos talentis Atticis tribus. Sequuntur versus Timonis, quibus convicia in Platonem contulit, quod ex libro Pythagorico Timaeum nobilem illum dialogum concinnasset. Omnia eadem redire videmus apud Diogenem Laert. cf. Gell. III 17, 1—2 c. Diog. III 11 (nisi quod Diogenes Platonem a Dionysio, Gellius a Dione pecunias accepisse tradit), Gell. § 3 c. Diog. IV, 1, 11. Gell. § 4—6 c. Diog. VIII 7, 4. Non dubito Maassio adstipulari iudicanti (cf. quaestt. philol. de biograph. Graec. Berol. 1880 p. 106 ann. 113) ex apomnemoneumatis Favorini, quorum meminit Diogenes de Aristotele Speusippi librorum emptore narrans, nostrum caput videri desumptum. — XIV 3 quaeritur „an aemuli offensique inter se fuerint Xenophon et Plato". Sequitur Gellius auctores, „qui de Xenophontis Platonisque vita et moribus pleraque omnia exquisitissime scripsere". Rursus omnia fere, quae apud Gellium leguntur, occurrunt apud Diogenem Laert., III 24: *ἔοικε δὲ καὶ Ξενοφῶν πρὸς αὐτὸν (Πλάτωνα) ἔχειν οὐκ εὐμενῶς. ὥςπερ γοῦν διαφιλονεικοῦντες τὰ ὅμοια γεγράφασι Συμπόσιον, Σωκράτους ἀπολογίαν, τὰ ἠθικὰ ἀπομνημονεύματα. εἶθ' ὁ μὲν Πολιτείαν, ὁ δὲ Κύρου παιδείαν· καὶ ἐν τοῖς Νόμοις ὁ Πλάτων πλάσμα φησὶν εἶναι τὴν παιδείαν αὐτοῦ· μὴ γὰρ εἶναι Κῦρον τοιοῦτον. ἀμφότεροί τε Σωκράτους μνημονεύοντες ἀλλήλων οὐδαμοῦ, πλὴν Ξενοφῶν Πλάτωνος ἐν τρίτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων.* Quod apud Laertium quartum est argumentum, Gellii primum est (§ 2), alterum Gellianum (§ 3) idem secundum Diogenis, argumentum § 4 collocatum, quod est tertium, respondet tertio illius; quod primum posuit Laertius, non exstat apud Gellium; quod hic rettulit § 5 et 6 „praeterea putant id quoque ad ista, quae dixi, accedere . . . . et musica et geometrica disserit", ille ut non satis validum omittit. Ab accusationis momentis ad defensionem se confert Gellius § 7—11. Iam vero in eorum numero, qui de Platone quidem scripsere, Favorinum fuisse testis est Suidas. Adde quod X 12, 9 Favorinum eundem Gellius

appellat memoriarum veterum exsequentissimum scriptorem: iam vides quam bene conveniant haec verba cum nostri capitis initio: „Qui de Xenophontis Platonisque vita et moribus pleraque omnia exquisitissime scripsere" (cf. E. Maass, l. l. p. 77 sqq.). Quae testimonia si cui non satis esse videantur ad opinionem nostram confirmandam, addam tertium, quod inde repetierim, quod eiusdem libri capita quae antecedunt duo ex eodem Favorino accepisse se ipse testatur Gellius. — Eidem Favorino debuerit Gellius V 3: „quae causa quodque initium fuisse dicatur Protagorae ad philosophiae literas adeundi". Graecum auctorem Graeca verba orationi inserta prodere videntur. Iterum eandem rem quamvis minus diffuse narratam invenimus apud Diog. Laert. IX 8, 4 (Gell. § 1—6) et IX 8, 3 (Gell. § 7), iterum eundem auctorem, Favorinum, ab utroque adhibitum esse mihi persuasum est. De III 13 et II 18 iam supra, cum de Hermippo egi (p. 45), disputavi. Quorum alterius capitis vestigia apud Diogenem Laert. comparent, cf.

Gell. II 18, 6 — Diog. Laert. VI 8, 1 (de Menippo).
„ 8 — „ „ V 2, 3 (de Theophrasti servo Pompylo) et VII 1, 3 (de Persaeo) et X 2 et X 5 (de Epicuri servo, cui Mys nomen fuit).
„ § 9 — Diog. Laert. VI 2, 4 (de Diogene Cynico).

De Phaedone (ap. Gell. § 1—5) cf. Diog. Laert. II, 5, 1.

Quod etiam Epictetum servum fuisse extremo capite adicit Gellius, ex Favorini ore accepisse probabile est, cum Aulus ipse prodat, Arelatensem illum Epicteti fuisse auditorem (cf. XVII 19, 1: „Favorinum ego audivi dicere, Epictetum philosophum dixisse", § 5: „Praeterea idem ille Epictetus, quod ex eodem Favorino audivimus, solitus dicere est"). —

In monumentis historiae Graecae scriptum est, Democritum philosophum luminibus oculorum sua sponte se privasse, quia existimaret, cogitationes .. animi sui in contemplandis naturae rationibus vegetiores et exactiores fore, si eas videndi illecebris et oculorum impedimentis liberasset, X 17, 1. In Democriti quoque vita describenda

Diogenes Laert. Favorini libros in auxilium advocavit, et verbis „in monumentis historiae Graecae“ *ἀπομνημονεύματα* denotare videtur Aulus.

Quam lepide et verecunde Aristoteles Theophrastum successorem diatribae suae elegerit, refert Gellius XIII 5 neque auctoris neque libri cuiusdam nomine adiecto. Quali talione Diogenes philosophus usus sit, pertemptatus a dialectico quodam sophismatico impudenti, memoriae proditur XVIII 13, 7—8 fontis significatione hic quoque omissa. In re tam incerta ad Favorini libros confugere vereor. — Platonis epigramma XIX 11 fortasse ex Favorini omnigena historia desumptum esse conicit E. Maass l. l. p. 105 ann. 112, sed iure rem adeo ambiguam in medio relinquit.

III. Jurisconsulti.

Finem hic faciam inquirendi in fontes, a quibus Gellii capita philosopha manarunt; reliquum est, ut in tertiam atque extremam disputationis meae partem intrans iurisperitos, quos Gellius tangit, absolvam. Praemittendum mihi esse videtur iustissimum illud iudicium Dirksenii (Die Auszuege der roem. Rechtsgelehrten i. d. Noct. Att. des A. Gell., act. acad. litt. Berol. a. 1851 p. 44) Gellii usum in excerpendis auctoribus quaestionum ad ius pertinentium angustis finibus contineri. Quibus in disponendis ordinem a Huschkio (iurisprud. Anteiustin. quae supersunt ed. IV. Lips. 1879) propositum sequar.

1. Numerius Fabius Pictor.*)

Duobus locis is obvius est, I 12, § 14 et X 15, 1—30. Priore loco agitur de Vestalibus; § 14 ex libro primo (de iure pontificio cf. Merckl. l. l. p. 650) Fabii Pictoris afferuntur verba, „quae pontificem maximum dicere oporteat, cum virginem capiat". Antistium Labeonem totum caput Gellio praebuisse docent verba in initio posita: „Qui de virgine capienda scripserunt, quorum diligentissime scripsit Labeo Antistius" e. q. s. et commemoratio accuratior in fine facta § 18: „in commentariis Labeonis, quae ad duodecim tabulas composuit". Non dubito adstipulari Huschkio (p. 3), Labeonem omnia ita dixisse videri, ut cuiusque sententiae antiquiores auctores afferret. Sed mihi video disputandum esse contra Mercklinum (cf. l. l.

*) Cf. p. 16.

p. 655), qui in auxilium vocans XIII 12, ubi Gellius ait in quadam epistula Atei Capitonis scriptum legi, Labeonem Antistium legum atque morum populi Romani iurisque civilis doctum adprime fuisse, putat hunc Capitonem hic a Gellio esse adhibitum; censet idem vir doctissimus, inter Capitonis Atei epistulas, quas easdem esse ducit atque coniectanea, et inter Labeonis commentarios ad XII tabulas eandem rationem intercessisse quae fuisset Atei coniectaneis cum epistulis Varronis, ita ut commentarii Labeonis inclusi fuissent in coniectaneis Atei. Id quod ex illo quem laudari loco colligere minime licet. Aliter Zimmern (Gesch. des roem. Privatrechts, I p. 313 n. 5), qui hoc caput ex Masurii Sabini libro de iure civili secundo desumi vult. Ab hac tamen sententia, quam ipse antea amplexus eram, desistere cogimur, si recte video, verbis § 1, quae iam supra commemoravi: „quorum diligentissime scripsit Labeo Antistius". Masurius enim discipulus erat Capitonis, huius vero adversarius erat Labeo. — Alter locus, quo Fabii Pictoris mentionem factam videmus, est X 15, de flaminis Dialis deque flaminicae caerimoniis. § 1 citantur libri, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, item Fabii Pictoris librorum primus; § 18 sine titulo libri laudatur Masurius Sabinus; § 31 Aulus adscripsit verba praetoris ex edicto perpetuo de flamine Diali et de sacerdote Vestae, § 32 verba M. Varronis ex secundo rer. div. super flamine Diali. Ne huius quidem capitis auctorem fuisse Fabium mihi persuadere possum, quamvis plena citatio sit facta. Attamen non possum non obloqui Mercklino (l. l. p. 655) de Ateio, quem de flamine Diali scripsisse testis sit Plut. q. R. 50 aut de Antistio, cuius libri ad edictum praetoris laudentur XIII 10, 3, tamquam de fonte cogitanti; potius credam totum caput fluxisse e Masurio Sabino, quem tantummodo perstringit Gellius. Hunc enim in libris memorialium pluribus egisse videri de sacris institutionibus testatur VII 7 (de origine sacerdotii fratrum arvalium); accedit quod idem altero quoque loco, V 19, ubi rursus eum nude positum invenis, auctor statuendus est, denique quod permultum in huius libris legendis atque

excerpendis Gellium versatum esse undique apparet. Fabii autem Pictoris librorum de iure pontificio usus Gellianus et I 12 et X 15 prorsus abnuendus mihi videtur.

2. Q. Mucius Scaevola.

Eum a Gellio lectum esse praefracte nego. IV 1, 17 laudatio ipsa alterum fontem indicat: „Quintum Scaevolam ad demonstrandam penum his verbis usum audio". Occupat autem me suspicio totum hoc caput ex Masurii Sabini § 21 citati libro iuris civilis secundo desumptum esse, unde etiam verba Quinti Scaevolae ipsa fluxerint. Iam cum argumentorum momenta capere nobis liceat ex Gellio ipso, similitudinem nostri capitis perspicimus in V 19, 6, ubi ad eundem Masurium pertinere puto Q. Mucii mentionem; ita enim laudatus est, ut ipsum non inspectum fuisse facile appareat. Tertius his locis similis est III 2, 12, quod caput ad Varronem revocavimus. Nam iterum ita eius meminit, ut nec ipsa eius verba proponat Gellius nec legisse se testetur: „Q. quoque Mucium iureconsultum dicere solitum legi". Ex Varrone, cui summa capitis vindicanda est, Mucii sententiam esse transsumptam ut sit probabile, efficitur eo, quod eundem Scaevolam testem excitatum videmus in Varr. libr. de l. l. VII 5, 105. VI 5, 83. VI 4, 311. — VI 15 scripsit Labeo in libro de duodecim tabulis secundo, acria et severa iudicia de furtis habita esse apud veteres; sequuntur § 2 Q. Scaevolae in librorum, quos de iure civile composuit, XVI posita verba. Utrumque, et Labeonem et Scaevolam, hoc loco a Gellio in usum esse vocatum censet Mercklin l. l. p. 648, secutus Dirksenii iudicium l. l. n. 103. Sed Mucii librum ambigi potest an Gellius habuerit in manibus; grammaticum enim nexum si respicimus (nam optime cohaerent verba Mucii cum iis quae antecedunt), ad eundem Labeonem quem in initio capitis citavit noster, hanc relationem revocare possumus. — Denique in censum hic venit XVII 7, 3, quod totum caput Nigidio Figulo assignandum esse optime statuerunt Dirksen l. l. p. 50 sqq. (cf. n. 103) et Kretzschmer l. l. p. 8.

3. Serv. Sulpicius Rufus.

Hunc quoque ex iis auctoribus esse, quibus nunquam Aulus usus sit, videbimus. Coniungenda sunt IV 3 et 4; addidit Gellius IV 4, 4: „haec eadem scripsit Neratius in libro, quem de nuptiis composuit." Iam cum ex Dig. XII. 4, 8 perspectum habeamus, Neratium Ser. Sulpicii auctoritate usum esse, non dubito Kretzschmero (l. l. p. 59) adsentiri Gellium ex Neratio sua sumpsisse affirmanti. — IV 1, 20 Aulus putat de penu adscribendum hoc etiam, Servium Sulpicium in reprehensis Scaevolae capitibus scripsisse, Cato Aelio placuisse . . . tus quoque et cereos in penu esse. A fide non abhorret, hanc quoque opinionem Servii Sulpicii deberi Masurio, qui in libro iur. civ. secundo (§ 31) etiam quod iumentorum causa apparatum esset, penori attributum rettulit. — Quod IV 2, 12 eundem Servium, qui solo nomine laudatur, respondisse legimus, non ex ipso transsumptum, sed per tertium Gellio acceptum esse facile demonstrari potest. § 1 citatur edictum aedilium curulium, qua parte de mancipiis vendundis cautum est, § 3 Caelius Sabinus in libro, quem de edicto aedilium curulium composuit. Hunc librum lectum esse a Gellio testatur accurata descriptio, ex eodemque Labeonis definitionem vocis „morbus" haustam esse (§ 3) ipse prodit. Quod cum ita sit, nihil vetamur opiniones a Labeone prolatas § 7—12 ad eundem Caelium referre (cf. Dirksen l. l. p. 53 sq.)

4. M. Valerius Messalla.

De eo rem paucis absolvere possum: eius libros de auspiciis tribus deinceps capitibus adiisse Gellium XIII 14 et 15 et 16 in aperto est (cf. Kretzsch. l. l. p. 5).

5. M. Antistius Labeo.

De eo cf. Gell. XIII 10, 1: „Labeo Antistius iuris quidem civilis disciplinam principali studio exercuit . . sed ceterarum quoque bonarum artium non expers fuit" e. q. s. et XIII 12, 1: „In quadam epistula Atei Capitonis scriptum legimus, Labeonem Antistium legum atque morum populi Romani iurisque civilis doctum adprime fuisse".

Eius commentarii ad XII tabulas ter citantur, I 12, 18. XX 1, 13. VI 15, 1. De primo loco iam supra disputavi p. 62 et totum caput Antistio assignandum esse iudicavi. Sed dubito num verum viderit Huschke (l. l. p. 113), qui Gelliana ex libris de iure pontificio desumi mavult; equidem nullam iustam video causam, cur ita sentiamus. Exeunte enim capite verba ex commentariis Labeonis, quae ad duodecim tabulas composuit, adiciuntur. Quae verba cum non abhorreant ab iis, quae praemisit Gellius ex Labeonis libro quodam, commentarios ad XII tabulas totius capitis fontem primarium fuisse arbitror. Idem conicit A. Pernice (M Antistius Labeo, das roem. Privatrecht im 1. Jahrh. der Kaiserzeit) I p. 41 et 54.

XX 1 Sextus Caecilius, qui in disciplina iuris atque in legibus populi Romani noscendis interpretandisque scientia usus auctoritateque illustris fuit, cum Favorino pluribus et copiose disputat de legibus duodecim tabularum. Obiter tantum § 13 mentio fit Labeonis in libris, quos ad duodecim tabulas conscripsit. Iam cum eosdem libros ad XII tabulas alias quoque Gellius in manibus se habuisse fateatur, haud scio an maior pars capitis nostri ex iisdem libris desumpta sit quam Aulus prodat. Id ipsum suspicatus esse videtur Dirksen l. l. p. 76 sq. cum hoc caput non minus apte ex commentariis cuiusdam veterum iurisconsultorum ut fluxisset, fieri potuisse iudicet. — De tertio quoque loco VI 15 iam supra (cf. p. 64) disserens summam capitis Labeoni tribuendam esse ex eiusque libro de duodecim tabulis secundo (i. e. comment. ad XII tab.) verba Q. Scaevolae transscripta censui. — Labeonis libros (de edicto aedili? cf. A. Pernice l. l. I p. 55) non ipse inspexit, sed per Caelium Sabinum accepit IV 2, 3. 7—10. 12 (cf. Pernice l. l. p. 51 ann. 2.). — Libro Laelii Felicis ad Q. Mucium primo Labeonis (ex libris de iure pontificio? cf. A. Pernice l. l. p. 45) mentionem deberi XV 27, 1—2 Gellii ipsius verba denotant.

6. C. Ateius Capito.

Cf. X 20, 2: „Ateius Capito, publici privatique iuris peritissimus“. — Eius librorum usus frequentior erat Gellio

quam Antistii. — Omni dubitatione carent IV 14 et X 6, utrumque ex Atei coniectaneorum libro VIII, qui inscriptus est de iudiciis publicis, petitum. — Coniectaneorum libr. IX*) adiit Gellius XIV 7, 12. 13 et 8, 2. Quem librum fuisse de officio senatorio probabiliter statuit Mercklin l. l. p. 667, quem secutus est Huschke. Eundem librum IX ad partes vocavit IV 10 „Quid observatum de ordine rogandarum in senatu sententiarum; iurgiaque in senatu C. Caesaris consulis et M. Catonis diem dicendo eximentis". § 6 laudatur Tullius Tiro tanquam auctor sine titulo libri, § 7 Capito Ateius, qui „id ipsum in libro, quem de officio senatorio composuit, scriptum reliquit"; § 8 verba Capitonis ipsa adduntur. Capitonem solum totius capitis auctorem fuisse Gellio et accurata descriptio et verba ex ipso allata testantur. — II 24 antiquae leges sumptuariae percensentur, in quibus enumerandis temporum ratio accurata est habita. Egit autem Capito de omnibus fere usque ad suam aetatem latis legibus sumptuariis in coniectaneorum libro quodam, quae Gellius adeo nuper se legisse ait § 2. Eiusdem Atei memoriam repetit Aulus § 15, ita ut de eo tamquam fonte nihil sit dubitandum. Lucilii versus atque Laevii (§ 4. 9. 10) utrum ex lectione Gellii ipsius profecti sint an locum obtinuerint in coniectaneis Atei, quaeritur. Id quidem negandum non est, Gellium eos addere de suo potuisse, sed cum Ateium Capitonem ab exemplis afferendis non abhorruisse testes sint Festus p. 273[a] s. v. Reus et Macrob. sat. I 14, 5, nihil obstat, quominus ex eo transscriptos esse existimemus. — XIII 12 epistula quaedam Atei Capitonis laudatur et ex ea verba ipsa afferuntur § 2—4. — Ateium auctorem habuit Gellius X 20 disserens, quomodo inter se differant rogatio, lex, plebiscitum, privilegium.

7. Masurius Sabinus.

Ad huius librum iuris civilis secundum totum caput IV 1 referendum esse atque ex eo desumptam memoriam

*) XIV 7, 12 Ateius Capito in coniectaneis scriptum reliquit. Nam in libro (col.) IX 8, 2 Aetius Capito in coniectaneorum (col.) IX — sic nunc ed. Hertz. CCLIX (vel ducentesimo quinquagesimo nono) edd. ant. Cod. Reg. 8664. col. IX.

Quinti Scaevolae et Servii Sulpicii iam supra (cf. p. 65) monui. — Idem liber laudatur XI 18, 20, ex quo verba Sabini ipsa apponuntur 20 et 21. Agitur hoc capite de puniendis furtis; persequitur Gellius leges Draconis, Solonis, decemvirorum; § 12 citat Sabini librum, cui titulus est de furtis; § 16 ex libro Aristonis apud Aegyptios veteres furta omnia fuisse licita et impunita refert; § 17 apud Lacedaemonios ius atque usum fuisse furandi narratur; § 18 verba ex Catonis oratione, quam de praeda militibus dividenda scripsit, afferuntur, § 19 Sabini ex iuris civilis libro secundo. Totum caput, si quid recte video, constat ex quattuor partibus, quarum prima pertinet usque ad § 15. Suo enim iure Dirksen l. l. p. 58 § 1—9 ex eodem auctore, quem § 11 laudavit, Masurio, fluxisse statuit. § 12 et 13 desumptae sunt ex libro de furtis, ad eundem librum revoco § 1—10 Dirksenium secutus. Altera pars continet (§ 16 et 17) memoriam ex Aristonis libro translatam, tertiae est locus ex Catonis oratione § 18, quarta denique § 19—24 habet notitiam ex Sabini iur. civ. l. II desumptam. Quae inde a § 16 leguntur, additamenta diversis temporibus facta esse videntur; e quibus primum adnexum est addendi formula „id etiam memini legere", cum iis quae proxime antecedunt, minime cohaerens; similem addendi formulam habes XIII 30, 7 „praeterea memini", XIV 1, 34 „praeter haec autem quae dicentem Favorinum audivimus, multa etiam memini poetarum veterum testimonia"; eidem Aristoni, quem notas ad Masurii Sabini libros scripsisse constat (cf. Dig. VII 8, 6), tribuo § 17 cum praecedente § 16 optime convenientem; secundum additamentum efficitur verbis Catonis, tertium alia addendi formula adnexum („praetereundum non puto") latiusque patens comprehendit § 19—24. Impeditior est quaestio, num liber de furtis a Sabino compositus pars fuerit librorum de iure civili, id quod opinantur Zimmern, hist. iur. Rom. priv. I p. 314, Dirksen l. l. p. 57, Mercklin l. l. p. 703; negat Huschke l. l. Controversiam solvere studet Mercklin l. l. ita, ut coniciat, inde, quod a Gellio § 19—24 postea additae sint absoluto iam capite et quod singulae capitis partes temporibus quam maxime diversis conscriptae

sint, permutationem inscriptionis eiusdem libri originem trahere. Quod quidem facilius est conicere quam probare.

Idem liber secundus de iure civili obvius est IV 2, § 15 verbaque ipsa apposuit Gellius. Haud scio an eidem Masurio assignandae sint § 13 et 14; materiae institutae iam ad finem perductae § 13—15 adnexuit dicendi formula usus „non praetereundum est".

V 13 sermo est de officiorum gradu atque ordine moribus populi Romani observato: conveniebat facile constabatque primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere; proximum locum clientes habere; in tertio esse hospites, postea esse cognatos adfinesque. Hunc morem observatum esse testatur M. Cato in oratione, quam dixit apud censores in Lentulum. Aliter autem Masurius Sabinus (§ 5), qui in libro iuris civilis tertio antiquiorem locum hospiti tribuit quam clienti. § 6 testimonium perhibetur ex C. Caesaris oratione, quam pro Bithynis dixit. Et Cato et Masurius et Caesar a Gellio ipsi inspecti esse videntur. — Eiusdem Masurii auctoritate usus est Gellius V 19. Totum enim genus dicendi atque argumentum capitis, quo disseritur de adoptatione et adrogatione faciunt ut sit probabile, Gellium sua desumpsisse ex libris cuiusdam eorum iurisperitorum, qui ante Antoninianam aetatem floruerint. Iam cum Masurii mentio fiat § 11 et cum eius verba ipsa apponantur, vix potest ambigi, eum summam capitis partem Gellio praebuisse (cf. Dirksen l. l. p. 68). Ex quonam libro transscripserit cum ipse non testetur, tamen fuisse libros de iure civili saepius ab Aulo adhibitos, a quorum argumento caput hoc non abhorreat, pronum est conicere. Verba ex oratione Scipionis quin de suo adiecerit, non dubium esse alio exposui loco (cf. p. 15).

Iam ut ad libros memorialium pergamus, primus occurrit VII 7, 8 de Acca Larentia deque origine sacerdotii fratrum arvalium. Quod caput ex Masurio solo desumptum esse Gellius ipse innuit verbis § 8 „Sed Masurius in primo annalium secutus quosdam historiae scriptores", in quorum numero etiam Valerius Antias § 6 laudatus habendus est (cf. Dirksen, Die roem. rechtl. Quellen des Verr. Flacc. u.

Fest. p. 150 n. 63). — Memorialium liber septimus citatur IV 20, 11, de equitis cuiusdam responso parum reverenter censoribus dato. —

Ex Sabini memorial. XI totum cap. 6 libr. V transtulisse Gellium Dirksen l. l. p. 71 n. 143 probabiliter coniecit, Mercklin (de Varrone coronarum Romanarum militarium interprete praecipuo, ind. schol. Dorp a. 1859, p. 6 sq.) effecit Plinio adhibito, qui n. h. XV 135 de lauri virtutibus disserens postquam causas aperuit, cur Romanis praecipue laetitiae victoriarumque indicium fuerit, ita pergit: „Ob has causas equidem crediderim honorem ei habitum in triumphis potius quam quia suffimentum sit caedis hostium et purgatio, ut tradit Masurius". Quam ob rem suo iure contendit Mercklin, nihil obstare, quominus omnium militarium coronarum memoria, quam Gellius exhibeat, ad Masurium Sabinum referatur, cui ut ovalis corona de ovandi legibus et exemplis, ita triumphalis coronae de triumphi rationibus disserendi copiam dedisse existimandae sint. Caecilii versum (§ 12) et Catonis locum cum ceteris non bene cohaerentem eundem Mercklinum secutus Gellii ipsius lectioni vindico.

Masurio Sabino fortasse etiam X 15 tribuendum esse iam supra monui p. 63.

8. Caelius Sabinus.

Caelii Sabini librum, quem de edicto aedilium curulium composuit, adiit Gellius IV 2, 3—5. Eum fontem fuisse capitis nostri usque ad § 13 iam antea demonstravi, cf. p. 66. — Eodem Caelii Sabini libro de edicto aedilium curulium altero quoque loco, VI 4, 1—3 Gellium usum esse probe animadvertit Huschke l. l. p. 144, praeeunte iam Gronovio (cf. adn. ad h. l.), cum etiam hoc capite Aulus agat de venditione servorum, quam pertinere ad aedilicium edictum testetur IV 2, 1: „in edicto aedilium curulium, qua parte de mancipiis vendundis cautum est". Quam aliam rationis opinionem affert Gellius § 4, cur dici solitum sit captivos „sub corona" venumdari, eandem debere potuit Caelio; verba ex Catonis libro de re militari allata Gellii ipsius lectioni tribuo (cf. p. 13).

9. Laelius Felix.

Semel tantum occurrit, sed ita ut vix dubitandum sit quin ex eius libro ad Q. Mucium primo sua hauserit Gellius, XV 27. Ad eum refero § 1. 2. 4; etiam ea, quae § 3 leguntur, ex eodem libro petita esse non negaturum, qui sententiarum nexum ipsumque rei, de qua agitur, argumentum reputaverit, merito adnotavit Huschke p. 145 n. 3.*)

*) Ex Labeonis de iure pontificio libris fortasse Laelium desumpsisse opinatur A. Pernice l. l. I p. 45.

Appendix.

Tabulam nunc proponam eorum auctorum, quibus duobus pluribusve deinceps capitibus Gellius usus est aut eum usum esse suspicari licet.

1.	Q. Aelius Tubero	VII 3. 4.
2.	Aristoteles	XIX 2. 4. 5. 6.
3.	Ateius Capito	XIII 7. 8.
4.	Calvisius Taurus	V 15. 16.
		VII 13. (?) 14.
5.	Chrysippus	VII 1. 2.
6.	Claudius Quadrig.	III 7. 8.
		IX 11. 13. 14.
7.	Cornelius Nepos	VI 17. 18.
8.	Favorinus	XIV 1. 2. 3.
9.	Masurius Sabinus	IV 1. 2, 13—15.
10.	Neratius	IV 3. 4.
11.	C. Plinius Sec.	XVII 15. 16. 17.
12.	Plutarchus	I 1. 2.
		II 8. 9.
		III 5. 6.
13.	M. Porcius Cato	X 8. 9.
		X 13. 14.
14.	M. Terentius Varro	I 17. 18. 19. 20.
		I 24. 25.
		II 10. 11.
		III 2. 3.
		III 10. 11.
		XIII 11. 12. 13.
		XIV 7. 8.
		XV 19. 20.
		XVI 16. 17. 18.
		XVII 3. 4.
		XVIII 14. 15.
15.	Valerius Maximus	XII 7. 8.
16.	M. Valer. Messalla	XIII 14. 15. 16.
17.	Verrius Flaccus	V 17. 18.

VITA.

Lotharus Ludovicus Ruske, Lublinicensis, natus sum a. d. III. Id. Oct. a. h. s. LVI patre Ludovico, matre Margareta e gente Sauer. Fidei addictus sum catholicae. Gymnasii cursu inde a vere a. LXVII usque ad autumnum a. LXXV rite peracto et maturitatis testimonio in gymnasio regio Vratislaviensi S. Matthiae impetrato hanc almam matrem Viadrinam adii studiis philologicis operam navaturus. Inter cives academicos a v. cl. G. Galle receptus per novem semestria scholis interfui virorum doctissimorum Dilthey, Freudenthal, Hertz, Ludwich, Neumann, Reifferscheid, Rossbach, Stenzler, Weber, Weinhold. Seminarii regii philologici sodalis fui extraordinarius per quattuor semestria, ordinarius per unum. Vere a. LXXX hac urbe decedere coactus in eamque anno post reversus per aliquot semestria praeceptoris munere functus sum paedagogii militaris.

Memoriam autem omnium virorum optime de me meritorum, imprimis vv. ill. M. Hertz, A. Reifferscheid, A. Rossbach, semper prosequar pio gratoque animo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Vell. Pat. I 9, 1 sic scripsisse censeo: Nam triennio adeo non varia fortuna . . conflixerat, ut plerumque superior fuerit.
2. Vell. Pat. II 1, 5 traditum est: Sed Pompeium gratia impunitum habuit, Mancinum verecundia . . .; legendum puto: Mancinum vero invidia.
3. Vell. Pat. II 4, 2 sic mutaverim: Et intra annum ac tris mensis, quam eo venerat, circumdatam operibus Numantiam excidit excisamque aequavit solo.
4. Tacit. ann. XII 66 nunc legitur: Tum Agrippina sceleris olim certa et oblatae occasionis propera . . . . consultavit. Post olim insero in Caesarem.